[illegible]

DER SCHUELER

DES

STAEDTISCHEN GYMNASIUMS

ZU GREIFSWALD

AM 14. UND 15. APRIL 1851

LADEN EHRERBIETIGST UND ERGEBENST EIN

DER DIRECTOR UND DAS LEHRERCOLLEGIUM.

---

1. ABHANDLUNG: DE IMITATIONE HORATII SCRIPSIT H. PALDAMUS.
2. SCHULNACHRICHTEN VOM DIRECTOR HIECKE.

GREIFSWALD,

GEDRUCKT BEI FRIEDRICH WILHELM KUNIKE.

Peerlkampus etsi docte ac subtiliter de historia quam dicunt textus carminum Horatii in praefatione editionis suae disseruit, tamen, quum sua in re iudicis quasi simul et rei causam agere cogeretur, quippe cui causae essent tam immanis interpolationis aperiendae, quantam ipse statuit: facile fieri potuit, ut interdum cupidius quam verius iudicare videretur vir ceteroqui acutissimus. Qua de re quid nobis sentiendum videatur, paucis iam exponere libet.

Primum quod ponit Peerlkampus, Horatium in scholis aeque assidue atque Vergilium lectum esse, quamquam ipse praeter notum Iuvenalis locum 7, 225 nullum eius rei affert testimonium, nam Parisinum scholion „et postremo Probus qui illas (notas) in Vergilio et Horatio et Lucretio apposuit ut Homero Aristarchus“ nondum editum erat quum praefationem suam scribebat: ita demum verum esse concesserim, ut non eandem prorsus utriusque poetae condicionem et auctoritatem fuisse censeam. Ut enim omittam, epicum poesis genus in universum apud Romanos dominatum esse, id quod uberius probare non opus est, et vel hanc ob causam Vergilii lectionem crebriorem fuisse quam Horatii, qua de re Grammatici multo plura ex illo quam ex hoc hauserunt: alia sunt quae consideranda esse videantur. Nimirum Horatio et Vergilio idem accidisse videtur post vitam quod dum in vivis erant. Hic enim Donato teste aequalium poetarum fere omnium, exceptis duntaxat Maevio, opinor, et Bavio et Cornificio, amicus, universo autem populo tam acceptus, is ut versibus eius auditis in theatro surrexerit praesentemque et spectantem poetam veneratus sit quasi Augustum (Tac. dial. 13): ille Platonem et Maecenatem suum sequutus paucorum erat hominum, pauciorum poetarum, quo ex numero non solum eosdem quos Vergilius fastidiebat verum etiam qui nil nisi Calvum et Catullum cantare docti erant et qui Pindaricos non expalluerunt haustus Callimachique Romani nomen appetentes in Alexandrinorum poetarum nemus ire cupiebant Euphorionisque denique cantores. Idemque nec plebis ventosae suffragia captans et summam ducens laudem principibus placuisse viris et malignum spernere vulgus, quamquam merito fidicinem lyrae Romanae digitis monstrari praetereuntium gloriabatur, tamen plebecula cum cicere suo nihil sapiente valere iussa equitem sibi plaudere cum Arbuscula satis habuit. Candida autem Vergilii anima ut ipsa magis ad se trahebat hominum studia, quam acris et irasci celer mens Flacci, ita argumenta, quae tractabat Mantuanus vates, admodum placere popularibus suis necesse erat.

Quid enim blandius ad audiendum inveniri potuit, quam rusticae vitae intonsis Cethegis tanto opere adamatae ipsiusque Italiae laudes, etiamsi ultra modum elatae videri poterant? Quid aures potentium pariter ac pullatorum efficacius mulcere quam memoria illustrium gentium fictarumque quibus superbire solebant originum et praeconia populi togati rerum dominos sese habentis aut haberi cupientis? An putabimus Horatium pari modo placuisse multitudini, dum vitia singulorum vehementer exagitat, avaritiam et luxuriam, quae aerugo animos plurimorum imbuit, graviter increpat, etiam ubi desipere concessum videtur, temperantiam commendat, aequalesque suos patribus nequiores et mox daturos progeniem vitiosiorem admonet, nullo tempore non ut operam gnaviter dent cupidinis radicibus eradendis moribusque emendandis quae sola hominem beatum facere et servare possint? Deinde ut in Vergilio pleraque domestica et popularia, ita in Horatio multa transmarina et Graeco fonte deducta et Hymettio melle oblita, ut facile eum appareat non magis in Ennii et Lucretii sacrario quam in Menandri Archilochique libris et Socraticae scholae spatiis et Lesbiorum poetarum lucis habitare. Haec autem quae cecinit non ante vulgatas per artes, inter lyrica Romana solum digna esse quae legantur auctor est Quintilianus, quamquam in omnibus eum interpretari non vult. Iam si ceteri lyrici tanto intervallo ab Horatio absunt, quantum Quintilianus statuit, cuius iudicio certe non adversantur quae Pentadii, Vestritii Spurinnae, aliorum nomine lyrica feruntur, imitationem ne dicam aemulationem eius, nec felicem nec quod inde coniicere licet adeo frequentem fuisse apparet. Ac mirari subit, cur ii qui tanto successu Horatii carmina interpolarent, ut per tot secula fallerent aciem doctissimorum virorum, carminibus suo ipsorum nomine edendis famam ac gloriam consequi noluerint. Nam quamquam ipse carmina haud intacta interpolatorum manu esse existimo pluribusque docere conatus sum in Horatian. p. 3. 4.: tamen dubitari nequit, quin multi a Peerlkampo notati versus ita bonitate superent pleraque omnia lyricae poesis Romanae, ut si non proximum apud Horatium locum, certe secundum obtinere debeant. Quod autem ad reliqua eius opera attinet, Sermones (sic enim constanter Priscianus, nusquam Satiras et recte quidem, ut idem semper Bucolica, non Eclogas et invectivas orationes, non Catilinarias) Persius quidem studiose imitatus est, mox autem Iuvenalis aliud genus invenit, perpetua recentiorum imitatione celebratum. Nec diu mansisse videntur scripta de personis Horatianis, quum bis terve tantum in scholiis quae extant commemorentur, quae autem praeterea in isdem feruntur, paucis exceptis ex ipso textu sumpta sint, etsi interdum reconditioris doctrinae speciem prae se ferre videntur. Epistolae autem, quamquam diligentius Sermonibus lectae esse videntur, qua re factum est ut corruptiores his in nostris libris ferantur, cordatioribus hominibus quidem probatae erant mirum quantum; vulgus autem non ut Vergilii opera allicere potuerunt. Epistola denique ad Pisones, mature pro arte poetica haberi coepta, in scholis assidue lectitata et explicata et commentariis instructa est, unde cultum hoc poema et in quo omnia niteant tot sordes et foedas corruptelas traxit quot nullum aliud opus Venusini vatis.

Accedebat autem aliud quid, a nemine dum observatum quod Vergilium gratiorem saltem apud posteros quam Horatium redderet. Solet apud cultiores populos fieri, ut qui primi eruditionis et litterarum semina inter populares suos spargant, ex meridionali patriae suae

parte oriundi sint: tum ad valentiorem et robustiorem populi partem septentriones versus habitantem idem negotium quasi divina naturae lege transfertur. Itaque, ut ad Romanos redeamus, Livius Andronicus Tarentinus, Naevius Campanus, Ennius Rudiensis, Pacuvius Brundisinus, Lucilius Suessanus in confiniis Latii et Campaniae editus, Horatius Venusinus. Rursus Maccius Plautus et deinceps Propertius Umbri, Caecilius cuius latissime patebat auctoritas Insuber, Ovidius et Iuvenalis ex Latio, Persius Etruscus. Iam sequitur Gallorum, Hispanorum agmen incipiens a Catullo, Aemilio Macro, Tibullo (is enim saltem praedia prope Patavium possidebat), Vergilio, Lucano, Valerio Flacco, Martiali, insigniter Trogi Liguris aut Galli Nepotisque, Padi accolae, et Livii quasi sodalicio exornatum et Pliniorum studiis vehementer sustentatum. Qui solus interpositus est Statius Neapolitanus, is singularem sibi vindicat locum plurima post Horatium et Propertium novando; Afrorum autem regno quod mox sequitur, praeludit quum aliis tum allitteratione Manilius. Variorum autem populorum qui veterem Italiam incolebant mutuam aemulationem et obtrectationem pariter atque in recentiore Italia flagrasse docemur multis indiciis, veluti quod Plinius minor aegre fert, (4, 13) populares suos studiorum litterariorum causa cogi a Como Mediolanum sese conferre. Hinc rara Horatii modo mortui memoria ac ne haec quidem satis certa: nam domum poetae Frontonem, Iuvenalis aequalem, praebuisse recitationibus poetarum tradit quidem Scholiasta ad Iuvenal. 1, 12; mirum autem videri debet, eam non absumptam esse Neroniano incendio. Contra Vergilii, cuius animus dum ad antiqua vaticinia et quae Neo-Platonici somnia sibi finxerunt (unde Macrobii insignis veneratio Mantuani vatis) inclinat, hac quoque ratione Horatio disparis sola humanitate nitenti eamque solam spectanti, summa in perpetuum erat auctoritas et assidua lectio. Nam mera humanitas paucorum semper erit hominum; multitudo omnis autem ut natura maris per se immobilis est: venti et aurae cient. Hanc qua florebat gratiam Vergilio invidens Caius Caesar eum cum Homero et Livio expellere conabatur (Suet. 34) et Nero, haud malus versuum pangendorum et ipse artifex, Turnum saltare constituerat (Suet. 54). De Horatio hic et alibi altum silentium; raro respicitur a Seneca poetisque aequalibus, Lucano excepto, ad unius Vergilii imitationem compositis; simplex eius mentio apud Martialem, qui summum Maronem numquam sine laude dimittit. Compensat autem hoc detrimentum Tacitus, qui quantum imbiberit animo Horatium postea videbimus. Cuius aequalis Plinius ut patriae suae amantissimus („illa nostra Italia quae multum adhuc verecundae frugalitatis atque etiam rusticitatis antiquae retinet et servat“ ep. 1, 14) ita populares scriptores suos imprimis laudat. „Catullus meus“ 1, 16. 4, 27 et qui huius exemplum sequuti Callimachum imitabantur „Callimachum me tenere credebam,“ 4, 3. De Silio commemorat 5, 7: „multum imaginum quas — venerabatur: Vergilii ante omnes, cuius natalem religiosius quam suum celebrabat.“ Passienumque Paullum quum laudasset propter felicem Propertii imitationem, addidit quasi occasione data 9, 22: „nuper ad lyrica deflexit in quibus ita Horatium ut in illis illum alterum effingit; ut possit si quid in studiis cognatio valet et huius videri propinquus.“ Promptum sane imitatorem ex genere isto quod bilem saepe movit Horatio, cui soli inter omnes Latinos poetas spiritum Graiae tenuem Camenae Parca non mendax dedit. Lusit similiter ipse Plinius maxime dum in itinere erat; sed nemo id spectasse videtur, ut carmina Horatii suis versibus augeret

1*

et quodammodo suppleret. Nec postea ab hac imitatione abstinuerunt, ut apparet ex S. Hieronymo ad Eustochium de custodia virginitatis ep. XXII p. 94 B: „nec tibi diserta multum velis videri aut lyrici festivo carminis metro ludere. — Quid facit cum psalterio Horatius? cum evangeliis Maro? cum apostolis Cicero?“ Mansit autem Flaccus omnium consensu in numero lyricorum, ut Lachmani verbis utar ad Lucret. p. 358 „decimus et idem unus Italorum.“ Iam cum Frontone antiquariorum studia florere obsoletique sermonis affectatio reviviscere ipseque Appuleio praeire in allitterationibus velut p. 307 ed. M.: „Quis tempus prorogat pomis mitibus aut floribus marcentibus aut facibus ardentibus? et p. 339: „haud ignarus fortissima facinora viventium gravatius, mortuorum gratius accipi?“ Vergilium laudat quidem p. 453 tamquam poetam verborum diligentissimum, sed nec hunc nec Horatium inter poetas commemorat, quos Caesari commendat ep. ad M. Caesar. 1, 5 et explicatius de feriis Alsiniens. ep. 3: „mox ut te studium legendi incessisset aut te Plauto expolires aut Accio expleres aut Lucretio delenires aut Ennio incenderes.“ Quos fere excitat in Exemplis eloquentiae. Frigidiuscule contra in ep. ad Aurelium Imp. 1. 1: „plane multum mihi facetiarum contulit istic Oratius Flaccus, memorabilis poeta mihique propter Maecenatem et Maecenatianos hortos meos non alienus.“ Quem omittit ep. ad Verum 1: „in poetis autem quis ignorat ut gracilis sit Lucilius, Albucius aridus, sublimis Lucretius, mediocris Pacuvius, inaequalis Accius, Ennius multiformis“ sequutus eos, qui, ut utar Taciti verbis dial. c. 23, Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Vergilio legunt. Quod autem Lucilium gracilem appellet, sumpsisse videri potest a laudatore Pisonis qui v. 230: „Ausoniamque chelyn gracilis patefecit Horati“ ubi Wernsdorf. (Vol. IV. p. 278): „gracilis vero dicitur a tenui materia et brevitate carminum ut Verg. in Culice: „lusimus Octavi gracili moderante Thalia.“ Frontonem autem ut credam hunc locum ante oculos habuisse eo adducor, quod etiam in superiore quem apposuimus loco hunc poetam imitatus est: „memorabilis olim tu mihi Maecenas tereti cantabere versu.“

Emergit tandem Horatii memoria per bonum et salubrem principem Alexandrum Severum qui teste Lampridio c. 30 „non alia magis legebat quam de officiis Ciceronis et de republica. Nonnumquam et oratores et poetas, in queis Serenum Sammonicum quem et ipse noverat et dilexerat, et Horatium.“ Huncque altero seculi tertii dimidio diligenter lectitatum esse, insigni Calpurnii imitatione evincitur, de qua mox agemus. Quod duravit denuoque effloruit sanctorum virorum, Ambrosii, Augustini maximeque Hieronymi opera, quibus accessit Christianorum poetarum spectabilis grex. Quippe intelligebant prudentissimi homines nullum ethnicorum scriptorem inveniri posse qui purior et intactior esset ab omni veteris caerimoniae contagione idemque aptior ad probandum, Christianorum de moribus doctrinam non alienam esse ab antiquitatis institutis, quam Flaccus, sive ridendo dixit verum sive melius ac planius Chrysippo et Crantore quid decens ac rectum esset docuit, ad solius humanitatis leges revocavit nulla gentium originis vel patriarum legum et consuetudinum ratione habita. Horum scriptorum imitatio a Bentleio diligenter annotata Peerlkampo quoque largam materiem praecipue ex Ambrosio addendi dedit, pauca nobis reliquit, quamquam quin plura supersint non dubitamus. Medio autem quod aiunt aevo Vergilii nomen studiumque multo magis quam Horatii

floruisse satis constat, quamquam ne hunc quidem praestigiatoris fama plane etiam nunc carere auctor est Pricaeus ad Vartonis Hist. poes. Angl. V. 2 p. 411 ed. IIdae, ut ex ephemeridibus litterariis certiores facti sumus. Placuit, ut brevi rem complectar, Vergilius Romanensibus populis eorumque poetis quique hos imitati sunt atque simul cum his vivet et peribit: placuit Horatius sanis, sobriis, cordatis hominibus omnium aetatum et gentium, placuit Wittio inter tormenta, placuit qui nil nisi hominem et esse et haberi cuperet Lessingio; displicuit idem numquam non iis qui in bonas litteras grassarentur et societatis humanae vincula solvere conarentur, displicuit facile iis qui opinione ante praesumpta paullulum se a vero abduci passi sint, quod Schmidio Berolinensi nuper accidisse non magis dolemus quam aequo et religioso in paucis aestimatori antiquitatis Loebellio Horatium probari laetamur. Placebunt denique si quid sentio in perpetuum nonnulla Bucolicorum, multa Aeneidis, plurima Georgicon; dimidiato autem Vergilio Horatius integer superstes erit, cuius quam diu litterae Latinae docebuntur honor laudesque in omni quod tentavit litterarum genere manebunt.

Quod autem Peerlkampus de mala librorum mss. condicione disputat, modo accuratius inter singularum vocum corruptelas totorumque versuum et stropharum interpolationes distinxisset, in iis ita me assentientem habet, ut addam locum prae ceteris memorabilem qui latuit omnes de hoc argumento disserentes Sulpicii Severi in Hist. S. 1, 40: „Sed non dubito, librariorum potius neglegentia, praesertim tot iam seculis intercedentibus veritatem fuisse corruptam quam ut propheta erraverit, sicut in hoc ipso nostro opusculo futurum credimus, ut describentium incuria quae non incuriose a nobis sunt digesta vitientur.“ Verum si Peerlkampum sequeris quarta fere pars carminum recidenda est, ita ut vix singulis libris iustus ambitus constare videatur. Nam ut uno exemplo defungar, ex quarto libro qui habet 585 versus, 136 eiiciendos esse censet. Quos ab uno interpolatore profectos esse quum ipse opinor contendere non audeat, unde tot variorum temporum et auctorum, inter quos pueri quoque ex eius sententia habendi, mira aequalitas numerorum argumentaque et sententiae aevo Horatii certe aptissimae maximeque convenientes? Quod ut ipsi quaerendum relinquamus (nam in praefatione non satis attendit ad hanc quaestionem), dicat quispiam: Nonne tu ipse nonnulla interpolata esse credis? Atqui quod in uno versu fieri potuit, potuit in centum versibus. Audio nec recte te concludisse negaverim: sic autem existimo, etiam in his rebus modum quendam semper fuisse et fines intra quos peccare liceret. Crepent quotquot volent de librariorum incuria: nullo fere non tempore homines religiose id munus exercentes inveniebantur, quorum sine opera veterum scripta multo corruptiora extarent quam esse laetamur. Accedit quod de carminibus recensionem Mavortii habemus, cuius auctoritatem cavendum est ne temere laedere videamur. Nam ceteri quidem scriptores (enumerantur autem sedecim quorum recensione aliqua utimur) praestant integritate iis qui ea carent. Ac sapienter Schneidevinus prol. ad Martial. p. CX: „Et universe quidem bene sperare iubet id quod veteres cum Graecos tum Latinos summum videmus in eo posuisse studium, ut codd. vetustissimos et fide dignissimos contraherent, non vanae luxuriae iactantiaeque gratia, sed ut de scriptura ipsorum auctorum certo constaret.“ Cur autem quod demus Calliopio, Turcio Aproniano, aliis, adimamus Agorio nulla causa est. At, inquies, tot foedae corruptelae insunt in carminibus. Concedo ita ut pro certo habeam,

plerasque si Blandinii quanta maxima fieri posset cura et diligentia collati essent sanatas nunc esse; ceterum quum ne hi quidem manifestis vitiis careant, suspicio mihi suborta est, omnes carminum libros ductos esse ex exemplari quodam, in quo initia et clausulae versuum casu quodam corruptae et truncatae essent. Certe Bentleianum commentarium evolventi quavis fere pagina patebit, manifesta vitia pleraque in his sedibus inveniri.

Iam vero quaerendum videtur, num ex iis quae grammatici aliique scriptores ex Horatio afferunt appareat olim aliter lectum esse atque nunc. Quorum ut antiquissimum ita maxime memorabile nobis visum est Persii scholium in glossis Pithoeanis S. 3, 21, quod habet quin tu pro tantos in H. S. 2, 3, 13 unde Rutgersius et Bentleius quid tu faciebant. Verum nec haec lectionis discrepantia nec quae apud Grammaticos inveniuntur variantes lectiones, multo illae antiquiores antiquissimis membranis nostris, eiusmodi sunt ut aut textum Horatii aliquando discrepasse multum ab eo quo nunc utimur credendum sit aut ut eas probando receptam lectionem mutare cogamur. Quod fecit Bentleius C. 1, 13, 2 lactea ex Flavio Capro p. cerea reponens; iniuria si quid sentio. Cerea enim hoc loco non eam significationem habere quae verbi causa obtinet apud Auson. ep. 3, 1. 2. turdus — clunes opimat cereas apparet ex apposito rosea pariter atque religata C. 4, 11 init. non significare soluta sed potius collecta ex verbo fulges intelligitur. Lactea memoriae error videtur, qui eo facilior erat quo saepius posteriores poetae hoc vocabulo usi sunt velut lacteus lacteolus in Anthologia L. et incertus poeta qui Floridorum et Petronianorum colorem refert apud Isidorum 11, 2, 29: Florea iuventus, lactea canities. Idem Bentleius quod ex Mario Victorino recepit mero incaluisse virtus pro mero caluisse virtus C. 3, 21, 12 auribus blandiri poterat ante praeclarum Lachmanni inventum de elisione iambicorum vocabulorum v. hunc ad Lucret. p. 199. Et amavit composita ut ex coniectura scripsit S. 1, 3, 116 alieni infregerit horti pro fregerit, quamquam Ep. 17, 72 nectes maluit quam codicum innectes. Plura autem eiusmodi in libris mss. reperiuntur, velut insequitur p. sequitur C. 3, 16, 17 Gtg. I apud Kirchnerum v. cl. p. 27 et ex ipsis Blandiniis unus intendentes C. 3, 4, 51 pro tendentes, quin etiam in Epp. 1, 10, 9 Blandinius antiquissimus et Divaeus habent effertis pro vulgato fertis. — De Charisii variantibus lectionibus disseruimus in Museo N. Rhenano; ne te fallat quod is habet p. 57 ed. L. lassas clunes p. pulchras clunes S. 1, 2, 89, ingeniose correxit Hauptius Ov. et Grat. p. 74: vix sustineo clunes .... et Horatius „pulcrae clunes“ et Scaevola, lassas clunes. — Eutyches 2, 3 p. 178 ed. L. habet fatiget pro fatigat S. 2, 2, 11 quod pedestri orationi conveniret. Idemque 2, 8 p. 186 „Psallimus et saltamus Achivis scitius unctis“ E. 2, 1, 33 quod vehementer placuit Feae prae vulgato luctamur-unctius. Temere, ut docebunt interpretes. Memoriae vitia non magis sunt quam quod in Terentii Adelph. 1, 2, 37 Varro de L. L. 7, 5 p. 362 pro obsonat affert scortatur, quod adversus Bentleium defendere conatur Spengelius. Similiter Servius, corruptissima quaeque ex Horatio afferens atque etiam excusans (v. Horatian. p. 1), ad Ge. Verg. 1, 287 habet vigilant de nocte latrones E. 1, 2, 32 p. surgunt, ut et Guelff. codd. unusque Feae. Alibi duos locos in unum cogit ut Bucol. 4, 10: Sive te Lucinam probas

vocari seu te penitus Iunonem, quod ex C. Sec. 15 et C. 1, 21, 3. 4. conflatum est. — Prisciani, cuius optimus vel inter optimos habendus liber Heidelbergensis non multo ante scriptus est quam Mavortii recensio facta sit i. e. anno 527 ut ex subscriptione libri octavi apparet*), praestantissimi codices saepe consentiunt cum optimis Horatii libris ut XI, 8, 34 vertit Ep. 2, 50 Heidelbergensis; vitabit (in textu vitabat) idem p. 338 ed. Kr. in E. 1, 17, 30 et veniat (in textu veniant) X p. 473 in S. 1, 8. 38. Denique plures non pluris idem VII p. 314 in E. 1, 15, 22. Quod plerique et optimi libri Prisciani habent C. 3, 25, 2 quos, agar et quos p. aut quos Vergiliani exempli auctoritate improbavit Bentleius, cui addo Claudian. in Eutrop. 2 prol. 33: terras aut quem transibis in axem. In l. VI, 16, 84: „Horatius in II Carminum: Testis mearum centimanus Gigas sententiarum“ (est autem C. 3, 4, 69 confusum cum 2, 17, 14) codices Prisciani Horatiique in Gigas consentiunt, quae lectio nunc coniecturis cessit. Nec displiceret XV, 5, 28 Prisciani „Olim truncus erat ficulnus (S. 1, 8.) si legi posset Truncus erat olim. Contra vero Argeo C. 2, 6, 5 dubium videri potest num Prisciani auctoritate satis defendatur, qui in Statio legit Argio, vetustissimus autem Blandinius habet Argivo. Nec morabitur quemquam, quod addam quia omissum video, Scholiastes Ovid. Ibidis p. 462 ed. Merk.: „Palpebris abscissis mortuus est (Regulus) quod tangit Horatius.“ Is autem mortem tangit non mortis genus. Ceterum hausit sua scholiastes ut videtur ex Orosio 4, 10: „resectis palpebris illigatum in machina vigilando necaverunt“ ubi animadvertes duo rumores de Reguli morte in unum conflatos esse. Idemque p. 465: „Venus uxorem eius (Diomedis) egialeam pudicam fecit meretricem, ut ait Horatius.“ Nihil de his apud nostrum poetam ut nomen suspectum habeas necesse sit, nisi forte significavit quod de Diomedis in Italiam immigratione dixit H. S. 1, 5, 92: Qui locus a forti Diomede est conditus olim, quam heros fecit quod Argis propter uxoris impudicitiam amplius esse noluit v. Serv. ad Verg. Aen. 8, 9. Denique Appuleius Osanni p. 7: „Sed et Horatius eos qui facile vertunt sententiam et deprehendi facile possunt, Proteos vocat“, quod pertinet ad E. 1, 1, 90: Quo teneam voltus mutantem Protea nodo et S. 2, 3, 71: Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus, de quibus locis conferre iuvabit Heinsium ad Ov. A. A. 1, 761. Ambiguus vates inde Sil. 7, 436. Verum sufficiant exempla haec e Grammaticis deprompta, quarum numerus, etsi multo rarius Vergilio a plerisque citatur Horatius, facile augeri poterat: quotquot enim grammaticos evolvi et inspexi, nulla quaerenti mihi scripturae discrepantia oblata est, quae suspicionem de tanta strage textui illata quantam factam esse persuasit sibi Peerlkampus, firmare ullo modo posset. Quod tantum abest ut ne duplicis quidem carminum editionis, quam verisimilem esse idem iudicavit p. XIV, argumenta inde petere liceat, quae omnino nulla sunt (nec Peerlkampus quicquam attulit) si vestigium quamvis tenue exceperis quod in prologo S. 1, 10 inesse videri potest, quem nemo nunc ab Horatio abiudicabit. Certe Naekius in Valer. Cat. p. 270 sq. hos versus primae fuisse editionis Sermonum suspicatur; iterum quum ederentur, mortuum iam fuisse Catonem admodum senem. Aeque autem vana est suspicio carmina

*) Scripsi artem Prisciani doctoris mei manu mea in urbe Roma Constantinopolit. die III Id' Ianuarias Mavortio viro Consule indictione quinta.

quaedam post mortem poetae edita esse quod de Epodis L. B. de Valkenar. et Estreus Prosopogr. p. 581 opinati sunt, quibus obstat, ut alia omittam, Palinodia ad Tyndariden. Peerlkampus autem ut probaret Horatii quae nunc habemus laceras partes esse saevo ex naufragio servatas et inutili pondere oneratas, eorum accessit sententiae, qui plura Horatium edidisse quam quae superessent opinantur. Quo in numero Frankius Fast. H. p. 24 n. 3 et p. 91 nomen profitetur suum, qui cum Passovio et Grotefendo satis mirari nequit esse qui ea de re dubitent. Ceterum quamquam quomodo inde effici possint, ut textum carminum interpolatum esse credamus, non video, huius quoque suspicionis argumenta prorsus desidero. Tantum enim abest ut ex S. 1, 4, 38: ubi quid datur oti Illudo chartis et S. 1, 6, 122 lecto aut scripto quod me tacitum iuvet sequatur, quod Frankius persuassimum habet „permulta Venusini vatis poemata Romae innotuisse quae in syllogen non reciperentur" ut contrarium effici posse videatur voce tacitum. Quae autem praeterea ab aliis afferuntur, ea leviora sunt, veluti quod N. Heinsius ad Sil. Ital. VIII, 378 miratur, quod poeta nullam Setini vini mentionem faciat quo Augustum maxime delectatum fuisse compertum habemus. At vero Horatius nec conviva „regiae coenae" nec laudator domus Augustae esse voluit, quippe qui Liviam Octaviamque semel commemoraverit, si Peerlkampum audiveris nusquam, nec saepius Marcellum, de quo adhuc sub iudice lis est. De Iulia autem prorsus tacuit, quam Propertius IV, 11 post annum 738 i. e. quum tres annos ante nupsisset Agrippae et rumores in vulgus manasse necesse esset, quos quattuor fere saecula post memoriae mandavit Macrobius Sat. 2, 5, his laudibus efferre sustinuit:

Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat et lacrimas vidimus ire deo.

Et tamen nihil ficti et simulati erat in Horatii cum Augusto familiaritate, id quod argumentis idoneis confirmavit Grotefendus Philol. I p. 143 sq. Rursus alii Vergilii aut Varii mortem non potuisse non defleri aut eiusdem Aeneidem celebrari sibi persuaserunt. Qua in re eiusdem Propertii auctoritate abutuntur canentis:

Nescio quid maius nascitur Iliade.

qui versus adeo placuit Vergilii laudatoribus, ut ab iis in Ovidii ep. ex Ponto 3, 4, 83 invectum sit quod etiam nunc legitur:

Res quoque tanta fuit quantae subsistere summo
Aeneidos vati grande fuisset onus.

Sapienter autem N. Heinsius: „Puto, inquit, Iliados vati." At ne bonae quidem Cinarae, dum in vivis erat, laudes inseri poematis suis voluit, quam quin cecinerit dubitari non potest. Nam plura eum scripsisse quam quae supersunt, quorum pleraque aut nonnulla amicis si minus recitavit certe cum iis communicavit, nemo dissimile vero existimabit. Quod tamen sic accipi nolim, tamquam ex multitudine carminum absolutissima omni numero quaeque eligere voluerit: scite enim Lachmannus ep. ad Frankium p. 238: „talia enim nondum perfectae artis documenta quaedam Horatium delere noluisse alio memorabili exemplo docere possum". Omnino autem considerantibus nobis Horatium nusquam versus cito effudisse, sed magna cum cura limaque composuisse videri, otium autem eius usu et familiaritate

Maecenatis, Augusti, aliorum, negotiisque circa caput latusque salientibus valde imminutum fuisse, multumque temporis infirmae qua utebatur valetudini impendere coactum simulque tacita meditatione et rerum humanarum contemplatione mirifice delectatum esse, mirum profecto videri non debet, quod non plura poemata edidit.

Denique, ut haec quoque attingam, tuetur Peerlkampius sese Bentleii exemplo, qui bis (C. 4, 8, 17. Ep. 5, 87; addo ex ceteris operibus S. 1, 4, 92; 2, 2, 38; A. P. 337 quem ex libris trivialibus illatum censet) spurios versus indagaverit. Quod nec ego de aliis versibus negaverim quos enumeravimus in Horatian. p. 11 et ipsi p. 4. 5 n. duo carmina significavimus, quae ab Horatio profecta esse posse sic ut hodie legantur, nunc quoque pernegamus. Verendum autem videtur, ne Peerlkampus ratus Bentleium plura spuria iudicaturum fuisse si diutius operam navasset Horatio, nam divinum at subitum eius opus appellat p. XXV, eximii viri dissimulantia quadam decipi se passus sit. Nam certe sedecim annis ante quam Flaccum ederet iam in Notis ad Callimachum emendationem v. 441 A. P. ter natis p. tornatis protulit, quam postea in editione poetae longissima totius operis et plenissima superbiae quaesitae meritis annotatione munire et corroborare conatus est.

Igitur quum, quemadmodum hucusque probare studuimus fusiusque exemplis imitationis Horatianae docebimus, tantum absit, ut argumentis extrinsecus petitis ullo modo evinci possit, textum Horatii in universum umquam alium fuisse atque nostrum, ut eius condicionem fere eandem fuisse post primum saltem seculum i. e. inde a Taciti tempore, ex consentientibus inter sese veterum scriptorum testimoniis efficiatur. Quocirca in manifestis corruptelis meliorum codicum auxilium expectandum est, de quo Bentleius quidem non desperavit ad S. 2, 4, 55: „Quamobrem omnes rogatos velim, quibus codd. vetustorum copia est, ut in hoc loco aliisque pariter suspectis videant, annon aliud olim fuerit a primo scriptore, aliud nunc post rasuram vel lituram ab altera manu feratur idque inventum in commune conferant. (Equidem non vidi.) Auguror enim, neque id opinor vane, multa post cineres nostros in codd. repertum iri, quae nos nunc sola, sed non socordi, coniectura indagavimus: in ceteris autem locis a diligentiore interpretatione maius quam plerisque videatur praesidium petendum est. Quis enim non credat in tanta interpretum multitudine certe pleraque ita explicata esse, nulla ut inde controversia esse possit? In quo egregie falluntur. Dupliciter enim nostra aetate peccatur primumque laxius interpretando, quo nomine Orellius magisque etiam Dillenburgerus adeo lapsi sunt, ut carminum totorum sensum perverterint. Lege quaeso C. 2, 4 Ne sit ancillae tibi amor pudori et habebis carmen tenerrimis affectibus plenum, in quo poeta amicum cohortatur, ne desistat a servae pudicae amore, addita, quod amat, (v. Riedel. apud Orell. E. 2, 1, 264) iocosa clausula. Orellium si sequeris, summa εἰρωνεία inest, extra quam solum brachia teretesque suras positas arbitratur. Ergo hanc inesse putabimus pulchris versibus:

Crede non illam tibi de scelesta
Plebe dilectam: neque sic fidelem
Sic lucro aversam potuisse nasci
Matre pudenda.

Dixeris potius impudentissimum mendacium miseri poetae εἰρωνείᾳ infeliciter abutentis. Superat autem eum Dillenburgerus qui summam festivitatem et malignam laudationem subesse adseverans nos docet fidem, integritatem, lucri contemptionem in hoc genere rarissima esse. Quid autem ineptius cogitando fingi potest eo carmine ex horum interpretatione, quam longius persequi ab nostro instituto alienum est? Ac praevideo fore qui clament: Nonne vel illa: regium certe genus-moeret cogent te ad castra adversariorum transire? Quibus sic occurrendum censeo: Xanthias, quisquis fuit, nolo enim somnia istiusmodi fingere, qualia nuper de Telepho aliisque legimus, amabat servam quandam, fortasse Germanorum e stirpe, si e flavae cognomine coniecturam facere licet, probam, pudicam, honestam. Quae in illa rerum condicione facile fieri potuit ut summo genere oriunda et Xanthiae amore dignissima esset. Certe Sueton. Ner. 28: „Acten libertam paullum afuit quin iusto matrimonio sibi coniungeret summissis consularibus viris qui regio genere ortam peierarent.“ ubi cf. Burmannum. Quo in genere licet multa mendacia iactata sint („et ego regis filius“ ait iste libertinus apud Petron. c. 57) Romae saepius usu venire oportebat, ut puellae domi nobiles aut avaritia parentum aut vi doloque raptae Romae prostarent venales. — Contrariam in partem astricta nimis et anxia interpretatione peccat Peerlkampus ita tamen, ut etiam ubi errat ab eo discere liceat. Quo in genere exempla nonnulla commemorabimus. Primum enim calidius egit, ea pronuntiando quae si vera essent ne Taciti quidem brevitas satisfaceret et atrocius quam Cortio quondam in Sallustium, nobis in antiquos poetas grassandum esset. Sic enim ille p. 87: Equidem Horatium non agnosco nisi in illis ingenii monumentis, quae tam apta et rotunda sunt, ut nihil demere possis quin elegantiam minuas. Itaque offenderet necesse erat in his C. 1, 12: Unde vocalem temere insecutae Orphea silvae blandum et auritas fidibus canoris Ducere quercus et in Epod. 2. aquae-fontes ubi iam Markland. coniecit frondes. Quid enim quercus post silvas? Quid autem faciemus Vergilio Buc. 2, 46: Ecce ferunt Nymphae calathis; tibi candida Nais? Nonne Nais quoque supervacua videtur nympharum mentione facta? Quid autem crebrius, quam genus sequi speciem vel dividi sententiam in partes, de quo praeclare monuit Dissenus ad Tibullum p. CXIX sq.? Nec fieri potuit, ut in hac lege tenenda sibi constans esset vir doctissimus, quem mirum est duas subsequentes comparationes non reprehendisse C. 4, 4. Ipsumque Bentleium offendit in S. 1, 4, 110:

Nonne vides Albi ut male vivat filius atque
Barus inops

duplex quod propositum est exemplum decepitque adeo mutandi libido, ut vir in poetarum lectione versatissimus dicere non dubitaverit, rectius scripsisse Horatium in sequentibus magna documenta p. magnum documentum. Quemadmodum autem, ut ad Peerlkampum revertamur, extra terminos evagari et in repetitione eiusdem sententiae ludere poetam

noluit, ita calidius agens brevitatis studium non satis attendit. Veluti quum C. 2, 16 pulchre animadvertisset, otium quod roget navita aliud esse quam quod sapienti homini a diis exoptandum esset, ubi hoc a poeta expressis verbis significari non vidit, excidisse aliquid pronuntiavit. Verbis autem inter miseros tumultus mentis praeparamur et admonemur, alium nunc otii significatum tangi atque antea. Deinde, quod in eo iure mireris poetae interpretationem non tam sollerter ac debebat ex ipso poeta petere studet. C. 1, 7: Me nec tam patiens Lacedaemon in adiectivo offendit quidem, spernens opinor nostrorum editorum ineptias, epitheton mere ornans esse balbutientium, verum pro eleganti quo pollet iudicio ab Oudendorpii, egregii viri sed in emendandis poetis paulo infelicioris, coniectura spatiis p. patiens assensum cohibet suum. Oblitus autem est, quod similiter Horatius imbelle Tarentum dixit E. 1, 7, 45. veterum temporum famam ad praesentia referens, ut non solum a naturali pulcritudine sed etiam a rerum gestarum memoria utrumque locum commendaret. Lacedaemoniorum autem patientia pene in proverbium abiit v. Nepotem in Alcib. 11, 4. Ages. 7.

Ut vero omittamus, virum praestantissimum interdum errasse quum vitiosa scriptura uteretur, id quod ei accidisse dolemus p. 67 in Quintiliano IX, 3, 18 ubi recte legitur apud Spaldingium: „Potest enim deesse alterum nam. Et apud Horatium illud: Fabriciumque. Hunc et intonsis Curium capillis“, exemplum enim est figurae quae abiectio dicitur: ne ad quaestionem quidem sane perdifficilem, multo enim artificiosius Catullo Flaccus peregrinis domestica immiscuit, v. Estreum Prosopogr. H. p. 523, satis animum advertisse videtur, quae carmina ex Graecis vertisse Horatius videri debeat. Qua re factum est, ut ei res minus feliciter cederet ultimam stropham carminis O navis referent etc. spuriam iudicanti, quod integrum ex Alcaeo sumpsit Venusinus vates. Maxime autem dubia et lubrica res est, ubi omnia ad pulcri sensum revocanda sunt, qui saltem ex parte alius alio tempore apudque alios esse solet. Accedit quod saepenumero evenire solet, ut singula videri possint iure vituperari totumque nihilominus placeat. Cuius rei insigne exemplum praebet Fronto de orationib. l. II p. 249 ed. M. sic de Lucani prooemio disputans: „Is initio carminis sui septem primis versibus nihil aliud quam bella plus quam civilia interpretatus est. Nunc hoc replicat quot sententiis! Iusque datum sceleri una sententia est. In sua victrici conversum viscera, iam haec altera est. Cognatasque acies, tertia haec erit. In commune nefas, quartum numerat. Infestisque obvia signis, appellat quoque quintam. Signa, pares aquilas, sexta haec Herculis aerumna. Et pila minantia pilis; septima, de Ajacis scuto corium. Annaee quis finis erit?“ Quod crisis genus quicunque volet exerceat, modo ne inde de auctore coniecturam faciat, quod saepius accidit Peerlkampo qui quicquid ipsi displicebat Horatio indignum esse existimabat. C. 1, 2, 9:

Piscium et summa genus haesit ulmo

fateor imaginem hanc ne mihi quidem admodum placere sed ferendam censeo non magis quam curas laqueata circum tecta volantes aut de Caesare S. 2, 1, 20: Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus aut apud Vergilium Aen. IX Amata Ceu

quondam torto volitans sub verbere turbo — Per medias urbes agitur populosque feroces. Et simile quid Ovidio placuit a Seneca N. Q. 3, 27 hanc ipsam ob luxuriantiam reprehenso: Nat lupus inter oves, fulvas vehit unda leones. Inde autem quod Seneca Ovidium, non Horatium commemorat, colligere Horatiana interpolata esse, id quod Peerlkampus fecit, temerarium videtur praesertim quum philosophus artibus Ovidianis vehementer delectaretur v. Bernhardyum H. L. R. n. 270. Legerat sine dubio Seneca Flacci opera legeritque etiam saepe, id quod ille contendit, verum non ita in deliciis habebat, ut iure mirari posses, omissam eius mentionem eo loco esse, quo non poetarum censura quaedam institueretur, sed de diluvii tempore quaereretur.

Admodum autem varia omnino Horatii memoria et imitatio est apud scriptores post eum florentes, modo rara et tenuis, modo frequens et manifesta. Cuius rei quae collegimus ex veterum lectione assidua documenta, age iam proferemus, resectis quantum eius fieri potuit quae ab editoribus poetae maxime a Peerlkampo observata animadvertimus. Quemadmodum enim in venustissimo carmine quod Ruth inscribitur spicas legere in Boas campis messorum vestigia pone sequens fingitur pudentissima virgo: sic nos conquirere undique coepimus quae post Bentleii maxime et Peerlkampi studia non prorsus inutilia ad Venusini vatis crisin et interpretationem adiuvandam poetarumque usum accuratius cognoscendum viderentur.

Prosarii scriptores.

Livius. Alloquio 1, 34 cl. 9, 6. 25, 24. Ita primus Hor. Ep. 13, 18: „deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis." Quos sequitur Vell. Pat. 2, 123 et Tacit. A. 1, 71: „cunctos alloquio et cura — firmabat." Lucan 10, 174. Valer. Fl. 1, 251 dulcibus alloquiis. Plin. ep. semel alloquio et saepius eius amicus Silius.

Mala libido 1, 57 ut H. mala ambitio et similia sexcenties. Tacit. A. 3, 26. Mala libidine. Animusque mala ferrugine purus eodem sumpsit auctor ep. ad Pis. 95.

Hac arte in patria steti 5, 44 = hac arte Pollux C. 3, 3, 9.

Speciem agminis Gallorum per Tarpeiam rupem scandentis 6, 17 = dum Capitolium scandet - pontifex C. 3, 30, 9 et ita Liv. in eadem re semper. v. Glossar. Tarpeias scandere in arces Ov. ep. ex P. 2, 1, 57 et saepius de Capitolio et Olympo. Capitolia scandere curru Lucan. 9, 600. Tarpeias - scandatis licet Sil. It. 2, 34 qui praeterea usurpat de equo, caelo, flamma (10, 466. 12, 71. 14, 310) et iugo 15, 231 ut Propertius. Manilio familiare v. v. Iacob. 1, 277.

Ut suis ipse oneratus viribus ruat 6, 19 = H. Ep. 16, 2: Suis et ipsa Roma

viribus ruit. Quocum componere licet Petronianum: „Ipsa suas vires odit Romana iuventus“ cui alia adhibuit Wernsdorf. P. L. M. 3 p. 26 sq.

Tempus erat-agere 8, 5 = H. C. 1, 37 init. i. e. iam dudum.

„Tamen tanti regis-mentio, quibus saepe tacitis cogitationibus volutavit animum, eas evocat in medium“ 9, 17, relativo enuntiato duriuscule praeposito, ut etiam alibi = C. 1, 32: si quid vacui sub umbra |lusimus tecum quod et hunc in annum| vivat et plures, age, dic latinum.

Verus terror 7, 20 = C. 1, 37, 15 veros timores.

Alioqui. Livio familiare et inter pedestres scriptores primo usurpatum vocabulum, quo bis utitur H. in Sermonibus nemoque ante eum poeta v. Hand. Turs. 1. p. 236 sq., ubi in eo errat vir praestantissimus, quod temere novam vocis significationem und überhaupt comminiscitur; de versu autem quem affert Lucretii 3, 415 cf. Lachmannum.

Per omnes vias leti 31, 18 = C. 1, 28, 16 quod uterque ex Lucretio sumpsit, v. Orell., et imitatur Val. Fl. 1, 32. Eandem sententiam sic efferunt: Nec mortis via simplex.

Moribus ritibusque efferatioribus quam ulli barbari, immanes beluae vivunt 34, 24 omissa comparandi particula, ut solet H. Ep. 1 aut perdam nepos et 2 classico miles truci.

Velut auspicibus nobilissimis populis 42, 12 valere potest ad tuendum auspice Teucro C. 1, 7, 27 quamquam dissimulare nolo apud Livium pariter de nuptiis h. l. agi atque apud Lucan. 2, 371 auspice Bruto, quem usum concessit Bentleius. Ceterum cf. Horatian. p. 8.

Charisius 1 p. 74: „imberbi autem dicuntur, non imberbes: sic enim et Varro — Titus Livius autem XVIII imberbes vulgariter.“ et illud recte Cruquius ex antiquissimo Blandinio A. P. 161; male hic et E. 2, 1, 85 Orellius imberbis et imberbes. Cruquius altero loco tacite imberbi.

Velleius Paterculus.

Quem sequutum esse Horatium in describenda Vindelicorum et Rhaetorum clade demonstravimus in Horatian. p. 9 sq. Quartum autem librum Carminum magis eum ceteris respexisse causa est quod in eo poeta maxime aequales Tiberii Drusique compellat. Itaque Lachmannus in Philolog. 1 p. 166 suspicatur laudes eximias Censorino tributas a Vell. 2, 102. deberi ex parte C. 4, 8. Quod utinam extra omnem dubitationem poni posset! Nam nescio quo modo animum mordeat ac pungat quod aequissimus totius antiquitatis iudex Ruhnkenius ad Vell. 2, 84 propter carmen 2, 5 Dellio inscriptum pronuntiare sustinuit: „Non minus huius nebulonis quam Planci-insignis adulator.“ De Planco, Ciceronis quondam amico et postea ab Augusto ad summos honores evecto alia res est. Permirum autem profecto, si Horatius exoleto isti homini et lascivarum historiarum auctori suavissimum purissimisque affectibus plenum carmen: Aequam memento etc. inscripsisset. Frustra enim esse qui duos Dellios statuerent iam docuit Fabric. ad D. Cass. 49, 39. Audiamus autem Cruquium: „In antiquissimo codice Bland. ex apicibus, lituris et alterius Bland. collatione in quo scriptum reperi ad Bellium, facile deprehendi in locum litterae G irrepsisse litteram D propter affini-

tatem ita ut pro v. Gellius hactenus legatur Dellius." Ita veram lectionem cui 3, 27, 7 habet antiquissimus Bland. „cum litura et supra notatum: alias quid." Idemque saepius expertus sum alibi. Sic in eodem pene nomine omnes Athenaei libri p. 4 a habent Τελλίας, reposuit Γελλίας ex Diodoro Casaubonus vitio satis antiquo qui iam Eustathium decepit p. 1471, 57. Quod autem Torrentii codd. habere dicuntur Q. Dellium, praenomen non moror ex Dione et Plutarcho aperte invectum. Nec quaero num Gellius idem fuerit qui postea Consulatum adeptus sit. Quisquis fuit, fuit homo Tibulliani fere ingenii cui dii divitias et pectus dederant, arte fruendi fortasse minus in eo elucente. Ridiculum autem prorsus Cleopatrae convivam Mareotico lymphatum alloqui: Seu moestus omni tempore vixeris.

Valerius Maximus. Hic quod iure mireris ne Proculeium quidem commemoravit notum in fratres animi paterni, quum paria enumeraret et Tiberii Drusique mentionem faceret 5, 5. Bona magnaque pars dixit 2, 9, 7 = S. 1, 1, 61. A. P. 297, nam de C. 4, 2, 46 dubitari potest quid significet vocis-bona pars. Inepte ponit Valerius hos p. illos 2, 7, 12 ubi alios eiusdem locos indicat Torrenius. Horatius si dicit S. 2, 2, 36: „quia scilicet illis Maiorem natura modum dedit, his breve pondus" ambiguitatem quae in illo Valerii loco est evitavit et ita Verg. Aen. 12, 529 qui ib. 789 hic-hic dixit p. hic-ille, et Germanicus in Arateis v. 488. Tacitusque An. 1, 70.

Senecae. Quos ut simul complectar, rara est eorum imitatio. Admonet Horatiani „Ennius ipse pater numquam nisi potus ad arma prosiluit dicenda" Seneca Q. Nat. 4 pr. § 18 in scenam prosiluit. Ceterum philosophus paulo iniquior erga Maecenatis memoriam, quem contra aniles rumores qui grande ei et virile ingenium quamvis quasi inviti concedunt, in perpetuum tuebuntur verba haud scio utrum auctori an patrono honorificentiora: Non isto vivitur illic quo tu rere modo: domus hac nec purior ulla est.

Tragicus habet eius Thyest. 300, bis suspectis apud H. locis lectum; volucri die Herc. F. 179 = C. 3, 28, 6: ac veluti stat volucris dies; lucidum coeli decus Oed. 405 expressum ex C. Seculari, quemadmodum quae leguntur Hipp. 508 sumpta sunt ex Ep. 2, 23 sq. quo nullum aliud Horatii carmen diligentius imitati sunt. Ima permutat levis hora summis idem alicubi, quod elegantius effert H. C. 1, 34, 13: Mutare et insignem attenuat deus. Apertior imitatio Herc. F. 1: Soror Tonantis-hoc enim solum mihi Nomen relictum est = H. C. 3, 27, 33: Quae simul centum tetigit potentem Oppidis Creten, pater! o relictum Filiae nomen quem locum primi recte interpretati sunt Huschkius Anal. litterar. p. 297 sq. et Peerlkampus, qui illius tamen nullam mentionem facit.

Nunc nunc apud Horatium et Senecam tragicum legitur, quorum locos iudicavit Handius in Tursell. IV p. 343. Ego addo Sil. It. 16, 428.

Quintilianus. Ut omittam nunc Institutiones, in quibus complures loci sunt, de quibus ambigi possit utrum imitationem Horatii statuamus an non, veluti 5, 10, 67 cum risu tota res

solvitur = S. 2, 1, 86 solventur risu tabulae ubi dissentiunt inter sese Burmannus et Spaldingius: pinguior iam quaedam imitatio in Declamationibus apparet velut frigoribus ac solibus perusta p. 38 ed. Obr. = Ep. 2, 41; inde pallor, inde macies p. 142 = C. 1, 3, 30; tum non enim vestes nec aurum nec ambitiosos quaerit ornatus p. 177 = Et aurum vestibus illitam Mirata regaliaque cultus C. 4, 9, 14. Tibi omne armentis mugiet nemus p. 237 = C. 2, 16, 34: Te greges centum Siculaeque circum Mugiunt vaccae. Furtiva stupra raptosque concubitus p. 296 = raptim donat inpermissa gaudia C. 3, 6, 27. Ceterum idem etiam ex aliis poetis integros versus sumpsit, velut ex Catullo p. 264: Potes hoc videre? potes hoc ferre?

Videtur Sermonum 1, 7, 16 recordatus esse quum scribebat Epp. 5, 2: „Accepi pulcherrimos turdos - recipies ergo epistolas steriles et simpliciter ingratas ac ne illam quidem sollertiam Diomedis in permutando munere imitantes.“ Plinius Secundus.

Idem 8, 24 monet Maximum ad ordinandam Achaiam missum ut „sit apud te honor antiquitati, sit ingentibus factis“ qui locus tuetur ingentia facta a Bentleio Epp. 2, 1, 6 argutius quam verius tentata.

Divinum Taciti ingenium quemadmodum primis studiis Tulliana dicendi ubertate sese impleri passum erat idque in dialogo feliciter expresserat, ita postea Horatium toto animo imbibit idque et in Historiis magisque etiam in ultimo suo Annalium opere ostendit. Vere enim Ritterus pr. p. XII: „Etenim quae virtus et potentia perpaucis omni aevo hominibus concessa reperitur, dico vim imitandi, hac inter Romanos adeo Tacitus excelluit, ut ipsum Thucydidem superet, vix Platoni summo eius artis exemplo concedat, Latinos rerum scriptores, etiam Salustium et Livium, longo intervallo post se relinquat.“ Quorum multa quae ad Horatium spectant iam occupavit Orellii sedulitas in utriusque scriptoris editionibus suis. Alia autem sunt quae magis sentiri quam demonstrari possint. Veluti quum Vitellii legiones tumescentis Oceani vi obruantur A. 1, 70 „tandem Vitellius in editiora enisus eodem agmen subduxit.“ Horatii ibi admonemur C. 3, 3, 10 „Enisus arces attigit igneas“ Romanosque milites cum his heroibus componere adsuevimur. Nec solum singulae voces, sed etiam complurium verborum ab Horatio Vergilioque petitorum coniunctio rhythmicam narrationis vim mirifice adauget. Qualia sunt in Annalibus demissum nomen Vergilii Horatiique S. 2, 5; contaminatorum grege A. 15, 37 = C. 1, 37, 9 contuminato cum grege; laetus in praesens A. 11, 15 = C. 2, 16, 25; in nepti adulter A. 3, 24 = Villius in Fausta Sullae gener S. 1, 2, 64; in H. 1, 59 grande momentum C, 2, 1 grande munus; 2, 5 equos mercantur = S. 1, 2, 86 ubi equos mercantur cuius versus prioreparte mos est regibus usus est A. 12, 47. Intermissae libidines H. 4, 47 ut praeter codd. aliquot Acro legisse videtur C. 3, 6, 27 explicans „inter lassatas.“ Tueor autem nunc impermissas. Valer. Max 7, 3 vulgari et permissa Venere. — Revictam coniurationem A. 15, 73 = C. 4, 4, 24 catervae revictae; A. 11, 12 fallere = E. 1, 18, 103; lentus 3, 70 = S. 1, 9, 64; extractus 1, 39 = S. 1, 1, 11; Tacitus.

refertus 4, 4 = E. 1, 17, 55. rapimur H. 1, 27 = S. 1, 5, 86. Denique malus et avidus uterque substantive aliaque plurima.

Cogitabam quondam aliquid praesidii peti posse ex A. 3, 66: „ille Scaurus quem proavum suum opprobrium virorum Mamercus infami opera dehonestabat“ celebri Horatii loco C. 1, 12, 37:

Regulum et Scauros animaeque magnae
Prodigum, Poeno superante, Paullum
Gratus insigni referam Camena
Fabriciumque.

in quo Scaurorum vel etiam unius Scauri (nam pluralem non moror, cuius usus apud optimum quemque poetam magis a numerorum suavitate quam sententiarum pondere plerumque pendet) mentio aliena est a laudibus non solum eorum virorum qui in hac stropha praedicantur, sed etiam eorum qui in antecedentibus et subsequentibus summo praeconio digni habentur. Nam ne princeps quidem ille Senatus a Cicerone propter earundem partium studium iusto maioribus laudibus ornatus est dignus censendus qui inter viros armis et sanguine suo patriam tuentes commemoretur, ut omittam non omni eius vitam caruisse macula. v. Drumann. H. G. R. 1 p. 25 sq. Accedit autem alia causa, quae nomen hoc suspectum reddit. Nusquam enim Horatius virorum mentionem facit, qui inde a bello tertio Punico usque ad Pompeium seditionibus et turbis civilibus nomen famamque acceperunt, nusquam Gracchorum Sullaeque dictatoris. Quod in universum recte monuit Estreus Prosopogr. H. p. 257. Nam etsi Spartacum v. c. commemoravit data occasione in lyricis, in ceteris scriptis Sullam, Lucullum, alios: funestarum tamen cladium tristem memoriam renovari noluit. Quamquam aliqua luctuosissimi temporis significatio secundum Scholiastae testimonium hucusque plane neglectum inest in C. 3, 3, 61 sq.:

Troiae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Coniuge me Iovis et sorore.

Ter si resurgat murus aëneus
Auctore Phoebo: ter pereat meis
Excisus Argivis; ter uxor
Capta virum puerosque ploret.

Ubi Acro: „Troiam significat periisse: semel ab Hercule, secundo ab graecis pro Helena: tertio ab Fimbria.“ Quod scholion reconditioris doctrinae vestigia prae se ferens dubitationem iniicere poterat Peerlkampo quum inde a v. 14 omnia audacissima manu resecare conaretur. Longinquae enim memoriae recordationem in his verbis poetae inesse, apparere videtur ex S. Augustino de Civ. Dei 3, 7: „Eversis quippe et incensis omnibus cum oppido (int. Troia per Fimbriam) simulacris, solum Minervae simulacrum sub tanta ruina templi illius ut scribit Livius integrum stetisse perhibetur.“ Quod pertinere videtur ad v. 23:

mihi Castaeque damnatam Minervae. Quod autem Iuno Fimbriae milites meos Argivos appellat, id ut a Iunone dictum excusari potest, quippe quae hostes Troiae omnes praecipui adversarii nomine complectatur. Mirum autem si Horatius quem nosse oportebat triplex urbis excidium, „numerum poeticum" elegisset cum historico, ut ita dicere liceat, numero plane consentientem.

Verum ut redeat tandem oratio unde deflexa est, profecto ridiculi sunt, qui Scaurum filium qui propter ignaviam a patre obiectam sibi mortem consciverit (Val. Max. 5, 8, 4) intelligi volunt. Melius sane Acro: nobiles Romanos qui et censores et Consules fuerunt. Legendum autem coniecimus in Ephem. litter. Halenss. m. Novembri 1848 Corvos; possis etiam Cossos. Dabo autem conspectum similium locorum quantum potero plenissimum, ut intelligatur, his quoque in rebus fuisse modum antiquis et fines quos ultra citraque nequiret consistere rectum.

Verg. Ge. 2, 169:

Decios Marios magnosque Camillos
Scipiadas sq.

Id. Aen. 6, 825:

Quin Decios Drusosque procul saevomque securi
Aspice Torquatum et referentem signa Camillum.

Prop. 3, 11, 63 sq.:

Coclitis abscissos testatur semita pontes
Est cui cognomen corvus habere dedit.

Manil. 4, 782: Et commilitio volucris Corvinus adeptus
et mox post Fabricium Curiumque v. 788:

Marcellus Cossusque prior de rege necato.

Lucan. 6, 786: Decios-Camillum-Curios. 7, 358: Curii-Camilli-Decii. 10, 152: Fabricios Curibusque graves. Iuvenal. Sat. 8 init:

Et Curios iam dimidios humerosque minorem
Corvinum et Galbam auriculis nasoque carentem

Sil. 3, 586:

hinc tibi Paullus,
Hinc Fabius gratusque mihi Marcellus opimis.

Quamquam idem ne quid tacuisse videar 8, 372:

His Scaurus monitor, tenero tunc Scaurus in aevo,
Sed iam signa dabat nascens in secula virtus.

Magnificentius autem 5, 77:

Atque hic egregius linguae nomenque superbum
Corvinus

cl. 13, 721 sq. Merobaudes v. 115 p. 18 ed. Niebuhr.:

Haud secus olim
Pugnaces Fabii patria pro gente cadebant
Et Decius propero lucem qui fine refudit.

Claudian. Paneg. in P. et O. Coss. 147 sq.: Decios pulchros - Gallisque genus fatale Camillos. adv. Eutrop. 1, 460: Brutorum Corvinorumque catervae. S. Hieronym. ad Paullin. ep. XIII Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones. Rutil. Namat. 1, 555:

Exiguus regum rectores cespes habebat,
Et Cincinnatos iugera pauca dabant.
Haec etiam nobis non inferiora feruntur
Vomere Serrani Fabriciique foco.

ubi similia quae omittimus affert A. W. Zumptius. Prudentius denique Steph. 2, 13. 14: Non turbulentis viribus Cossi Camilli aut Caesaris, quem ne Vergilius quidem omisit Aen. 6, 842:

Quis te magne Cato tacitum aut te Cosse relinquat?

De Corvo notus est Livii locus 7, 26, de Cosso cf. eundem 4, 20.

Appugnare invenisse videtur Tacitus A. 2, 81 cl. Rittero = C. 4, 15, 28 rite deos prius apprecati idemque applorans Ep. 11, 12. affrangere Stat. Theb. 5, 150. affremere Sil. 14, 124. adgaudere Lactant. I. 4, 6, 8.

Idem A. 3, 3: Facilius crediderim, Tiberio et Augusta, quia domo non excedebant, cohibitam = H. C. 1, 6 init. Scriberis Vario-alite. Sic Mediceus et nunquam credam Augustae esse Taciti.

Denique Taciti auctoritate defendere conabimur locum a Peerlkampo et Estreo Prosopogr. H. p. 269 sq. acriter impugnatum C. 3, 6, 9:

Iam bis Monaeses et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostris et adiecisse praedam
Torquibus exiguis renidet.

Quae verba Tacito iam lecta esse, mihi persuasum est ex A. 15, 14. „Adeo Vologeses nihil pro causa, sed opperiendos sibi fratres Pacorum ac Tiridaten rescripsit - adiecisse deos dignum Arsacidarum, simul ut de legionibus Romanis statuerent." De Monaese nunc quidem nihil constat, dissimile autem vero videtur, errasse interpolatorem in nominibus eligendis, quum Surenae nomen apud omnes historiarum scriptores in promptu esset. Sobriae igitur erit crisis, expectare dum certiora indagentur fortasse ex Orientalium scriptoribus, nam quae Burnouf in excursu ad Tacitum Orelli affert, nondum documentis satis firmata videntur. Interim relinquemus Horatio nomen, cogitantes apud Tacitum quoque 11, 10 Erindes Armeniae flumen nusquam praeterea commemoratum ipsamque silvam Teutoburgiensem ignotam longa nocte urgeri, si careret vate sacro in primo Annalium libro. Neque illud accidere non potuit, ut sola vox Monaeses casu quodam illata sit ut supra Scauros vidimus et quod ab Horatio manu profectum, perierit, quemadmodum E. 1, 12, 27. Ius imperiumque Phrahates Caesaris accepit genibus minor sic Orell. interpretatur: „Supplex per legatos - captivos et signa militaria remisit." Vides nihil non eiusmodi interpretatione effici posse. Scribendum Tigranes

cum Bentl. E. 1, 18, 56, quod idem vitii genus optimum Mediceum occupavit A. 1, 70 amnem Visurgim pro Amisiam exhibentem. Ita Teucer p. Nireus quod in textu reposuit Wernsdorfius, legitur in libris mss. et impressis apud auct. epit. Iliad. v. 194. parique prorsus modo Tullius p. Plinius apud Seren. Samon. v. 56. Quo in genere saepius dubitabimus, utrum librariorum culpa sit an auctorum. Nam quod Ciceroni accidit ut Eupolis scriberet p. Aristophanes (Ep. ad Att. 12, 6, 3) potuit certe aliis quoque accidere.

Scripsit is a. 238 p. Ch. rettulitque fortasse inter maiores suos Censorinum illum, cuius perhonorificam mentionem a Velleio factam esse supra ostendimus. Certe imitatus est in dedicatione libri sui ad Q. Cerellium missi Horatiana C. 4, 8: Donarem pateras etc. ita statim ab initio: Munera ex auro vel quae ex argento nitent caelato opere, nonnumquam materia cariora. Sic enim incidendo post opere locum sanavisse mihi videor sequutus libros DRglr apud O. Jahnium, qui cum Havercampo quam inseruit ante materia. Iterum idem p. 26 l. 1: Igitur quoniam quisque non quanto plura possidet, sed quanto pauciora optat = H. C. 4, 9, 45: Non possidentem multa vocaveris Recte beatum etc. Revocat autem Censorini praefatio in mentem Vitruvii dedicationem Augusti, qui si scripsit quod nunc existimatur ante a. 727, legisse nondum potuit Epistolarum librum secundum Horatii. Nihilominus grande ex ea praesidium accedit pulcrae Bentleii emendationi 2, 1, 2: Censorinus.

Cum tot sustineas et tanta negotia solus
Res Italas armis tuteris, moenibus ornes
Legibus emendes

Plane enim ita Vitruvius, quem praeterisse Bentleium miror praef. 2; „Cum vero attenderem, te non solum de vita communi omnium curam publicaeque rei constitutione habere, sed etiam de opportunitate publicorum aedificiorum, ut civitas per te non solum provinciis esset aucta, verum etiam ut maiestas imperii publicorum aedificiorum egregias haberet auctoritates“ etc.

Priores eius libri septimusque propter argumentum carent imitatione excerptisque latinorum scriptorum. In ceteris, ubi Tacitum quoad eius fieri potuit, sequutus est, ut Vergilium (plurima mortis imago 2, 5 extr.) ita Horatium imitatione expressit. Dirae etiam alites atque improbae bestiae 2, 10 = Ep. 99 sq.: Post insepulta membra different lupi | Et Esquilinae alites. 4, 1 bello utiles caesi = C. 1, 12, 42: Hunc et incomptis Curium capillis | Utilem bello tulit. 6, 21: belli portas claustro prohiberi = Ep. 2, 1, 255: Claustraque custodem pacis cohibentia Ianum. Adverbii usus rarior: studiose sectator pacis 7, 43 = C, 3, 17, 9 late tyrannus ut Verg. populum late regem et Val. Fl. 1, 53 olim ardor. Pervidere v. Horatio usurpatum S. 1, 3, 25 tum Ovidio bis et ante Tullio in epistolis, Lactantio saepius v. Buenem. ad l. 1 de f. r. 17, ceteroqui rarum, ter legitur, 4, 6. 6, 5. 7, 33. Idemque amat composita cum ex praepositione verba, praeter poetas Livio imprimis familiaria: emollire 5, 16. everberare 7, 35. emunire 3, 12. eblandiri 3, 20. edomare 5, 13. 6, 12. 7, 27. enutrire 6, 22. 7, 1. Ita Tacitus A. 11, 37 evicta et 15, 2 evinxit, quae tuebuntur quod apud H. legitur emirabitur C. 1, 5, 8. Emovere H. C. 4, 15 11 ubi laudant Scholiastae Vergilium. Paullatim evicta Orosius.

mollius quam victa visum est Silio 3, 581. Emutare familiare Manilio. Eremigare Sil. 14, 191.

Sulpicius Severus. Diligens Terentii et Salustii imitator habet H. 2, 32 pravis ambitionibus, plurali numero ex more prosariorum inferioris aetatis scriptorum praelato = S. 1, 6, 51. prava ambitione. * V. B. Martini praef.: Emissus semel non queat revocari = Ep. 1, 18, 71: Et semel emissum volat irrevocabile verbum. Cic. apud Augustin. (fr. p. 580 ed. Or.): nullum usquam verbum, quod revocare vellet emisit ubi malim cum Beiero Africanum minorem intelligere quam cum Patritio Catonem. Lactantius I. 1, 9, 1: „Hercules qui ob virtutem clarissimus et quasi Africanus inter deos habetur" minorem significare videtur. Videre videor Epist. 2. p. 223 favet Bentleio ita pro audire-videor legenti C. 2, 1, 21 ubi nollem Peerlkampo excidisset sudare-videor. Sic Prudentius quoque Steph. 2, 558 videor - videre.

Sidonius Apollinaris. Ut hunc perstringamus, qui etiam inter versificatores locum suum obtinet, multae lectionis vir et ingeniosus antiquitatis admirator, quemadmodum in Epp. 1, 5 iter Brundisinum manifesto imitatus est, ita Horatianus, si modo est, Rhodani potor ab eo mutatur in bibitor Araricus ib. 1, 8. quod sic effert Sil. 15, 503: Rhodani qui gurgite gaudent et unctus utitur Flacci sensu ib. 2, 9 cl. Savarone p. 146 et venenare 5, 6.

S. Hieronymus. Patrum ecclesiasticorum, maxime Hieronymi, diligentem rationem habuit Bentleius, cuius copias imprimis ex S. Ambrosio supplevit Peerlkampus. Addo unum S. Hieronymi locum ad Heliodorum de vita Erem. I p. 2 B siccis oculis ad vexillum crucis evola = C. 1, 3, 18 qui siccis oculis monstra natantia. Plus enim sicci oculi in his locis sunt quam non madefacti lacrimis et disparia cum Horatiano composuit A. W. Zumptius ad Namatian. 1, 166. Usus autem eiusdem est testimonio Bentleius in praeclara disputatione ad E. 1, 7, 29. Forte per angustam tenuis vulpecula rimam docens eum novisse hanc fabulam quam ab Aesopo Horatius transtulit, ut de mustela et mure, non vulpecula olim confictam scripsitque nitedula p. vulpecula. Quae disputatio Bentleii quum paucarum e numero sit, quam non infelix puer impar congressus Achilli sed vir eruditione et ingenio haud nimis inferior magno Britanno, a sensu autem pulchri fortasse instructior, Fredericus Iacobsius in Lectt. Venusin. p. 98 sq. peculiari scriptione refellere conatus sit idque ei communi fere doctorum virorum iudicio feliciter cessisse dicatur: operae pretium videtur esse, eius argumenta accuratius examinare, ut inde simul intelligatur quam caute de aliorum aliis in locis contra Bentleium disputationibus iudicandum sit. Primum autem opponit Iacobsius S. Augustini Isidorique testimonia quos vulpecula legisse apparet. Quod non morabimur quum supra docuerimus, nullo grammatici aliusve scriptoris loco certo posse evinci, textum Horatii alium fuisse quam quem nos habemus. Nam quamquam Hieronymum et ditiorem et libris ethnicorum instructiorem in iisque versatiorem quam Augustinum fuisse certo scimus, tamen non is est Hieronymi locus a Bentleio in auxilium vocatus, ut inde necesse esse appareat, nitedulam ab Hieronymo in Horatii codice lectam esse, quod ne veri simile quidem iudico, quum omnia haec ulcera antiquiora videantur quam quorum origo a nobis indagari possit. Vetus est igitur mendum, ut sexcenta alia. Quod deinceps miratur Iacobsius, librarios cunctos ineptam vocem

admisisse, minus mirum videbitur reputanti, nullam epistolarum recognitionem extare omninoque trisyllaba et quadrisyllaba vocabula in versu hexametro librariorum pedes tantum metientium incuria saepissime permutata fuisse, qua de re aurea Marklandi ad Statii Silvas praefatio est conferenda. Quid, quod in Servianis ad Verg. A 11, 522 legimus: „Moveat vulpecula risum“ p. cornicula? Quod h. l. eo facilius fieri potuit, quod Babrius, quem Domitiani temporibus floruisse censet Lachmannus, eandem fabulam de vulpe quae carne vescitur narrat n. 86. Itaque altero post Christum seculo vulpeculam in textum irrepsisse autumo. Maxime autem in eo errat Iacobsius quod non reputat, sanum fabulatorem leges naturae numquam ultra excedere quam rei necessitate cogitur. Itaque facit, ut verbis Aviani vel eius interpolatoris in fabularum praef. utamur, „loqui arbores, feras cum hominibus gemere, verbis certare volucres, animalia ridere“ addo montes parturire, quia notio magnitudinis hac in fabula primaria est. Nec cetera Iacobsii exempla ad vulpeculam defendendam valent. Nam si bos invitatur a leone ad ovem comedendam (fab. Aesop. 228) non tam agitur num bos ea vescatur verum num veniat nec si leo vaccam, capellam, ovem ad venationem convocat, cardo rei in venatu sed in societate leonina vertitur. Similiterque se habet res in lupo tibiis cantante aliisque fabulis, quas Iacobsius affert. Denique in eo fallitur vir praestantissimus, quod quaerit semper utrum hoc illudve magis minusve verisimile sit, quum in Horatianis potius de re agatur, quae contra naturam vulpis ipsius sit, veluti mutos pisces non facile contionantes inducemus, nedum eosdem in littore eiectos faciamus colloquentes. Omisit autem ipse Bentleius quae suae argumentationi faverent, parum apte mustelam cum vulpe colloqui prudentiusque sic finxit Babrius l. l. ἑτέρα δ' ἀλώπηξ ὡς ἐπῆλθε κλαιούσῃ, deinde autem indecoram esse simplicis poetae et fidi amici cum vulpe comparationem, aptissimam contra nitedulae i. e. humilis viri ratione potentis amici habita. Denique difficultates quas propter tenuem rimam movit Bentleius, omisit Iacobsius prorsus. Vides ex Bentleiana argumentatione nihil esse refutatum ab egregio viro, cui equidem omnium minime detrahere ausim haerentem capiti cum multa laude coronam *).

De Boethii imitatione nunc satis habeo laudasse Obbarium v. cl. ad H. E. 1, 12 p. 159.

De falsa rel. 18, 4. Quis tam stulte ineptus est = H. S. 1, 10, 2: Quis tam Lucili fautor inepte est. A Plauto ducit Meursius apud Buenemannum. Lactantius.

Quod Horatius non, ut Heindorfius opinatus est, libertate veteri reipublicae conveniente, verum Stoica ista gravitate, de qua luculentum Tullii ep. ad Paetum 9, 22 testimonium extat, sic effert: Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli | causa, ad ea quum Lambinus Athenaei Herodotique locos apposuerit, similia Lactantii addam. Sic enim ille eleganter I. 3, 21, 11: At nulla vehementior discordiarum causa est, quam unius feminae a multis maribus appetitio.

I. d. 1, 6: Amaltheam — novem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum etc., ubi Buenemannus excitat Cuiacium ad Pomponium de orig. iuris (Opp. Cuiacii T.

---

*) Statim postquam superiora scripsimus, laetatus sum quum incidi in haec Lachmanni ad Lucretium verba p. 204: „Idem vocabulum (nitedula) Horatio in epistolarum 1, 7, 29 a Bentleio restitutum qui non accipiunt, rationem et genera fabellarum ignorant.“ Quae laetitia rursus in moerorem conversa est nuntio de morte viri in arte sua plane singularis allato.

2 p. 84 sq.) qui sic: „Utrique Tarquinio auctores videntur superbi tribuisse nomen: nam et Superbo tribuit Cassius Hemina apud Servium et Livius et victor de cloacis quod Prisco Plinius XXXVI. Et in Victore varie legitur, quum de filiabus scribit Ser. Tullii, modo Superbi modo Prisci. Et hunc quoque quem Pomponius Superbnm vocat et palam scribit fuisse Demarati Corinthii filium, certissimum est et fuit aeque Pomponio ac ceteris, esse Priscum. Ultimus enim Tarquinius Demarati nepos, Prisci filius fuit ut plures sentiunt vel ut pauci Demarati pronepos, Prisci nepos, quod discidium auctorum etiam notatum extat in oratione Claudii Lugduni in aere incisa.“ Quae num valere videantur ad superbos Tarquini fasces apud H. C. 1, 12, 34 Prisco vindicandos nunc aliis diiudicandum relinquamus; illud certe constat, Priscum non solum cum nepote saepissime confusum esse, sed etiam pariter atque hunc superbum multis nominibus dominatum exercuisse.

Poetae.

Maecenas. Abs quo ut honoris causa proficiscamur, Grammaticus de gen. nom. apud Hauptium p. 96: Quirites singularem numerum non habet, nam Maecenas dixit quaeritem sed non recipitur. Idemque praecipit commentator Cruquianus ad C. 2, 7, 3 Quis te redonavit Quiritem ad Donatum provacons et Scholiasta Persii 5, 75. Friget prae eo Peerlkampi Quiritum singularisque h. l. Cledonii, in E. 1, 6, 7 Diomedis auctoritate defenditur. Alia singularis exempla v. apud Suringar. Hist. crit. Scholiast. 3 p. 150. Licet fortasse suspicari praeivisse Maecenatem in hoc usu ceteris poetiš, quem maxime Ovidius sequutus est.

Vergilius. „Ubique certe Vergilius et nomen gentile et possessivum ponit Troius. — Contra ne unus quidem quod sciam Horatii codex aliter habet quam pulvere Troico et Troica sacerdos.“ Bentleius ad C. 3, 3, 32 ubi tamen Heinsio obtemperat Troia corrigenti quod iure improbat Peerlkampus. Sequuti autem sunt Vergilianum usum plerique poetae Statio excepto et in Tragoediis Seneca v. Heins. ad Ov. Heroid. 1, 28. Similiterque apud Horatium Ilios fem. quod neutro genere semper ab Vergilio efferri testatur Serv. ad Verg. Aen, 3. 3, quamquam etiam Ilion neutr. nunc legitur C. 3, 3, 18 v. Lachm. Mus. Rh. N. 3, 4 p. 617, qui femininum ubique restitui vult. Livium dicere solere Ilium, Ilios auctorem epitomarum observat Drakenb. ad ep. 83. Porsĕna Horatius et Silius, Porsenna Verg. Aen. 8, 646. Fīdenis H. E. I, II, 10, Fīdenam Verg. A. E, 773. Magis Vergilio amat Horatius verba tertiae coniugationis stridĕre, cavĕre, fervĕre, quamquam habet ut ille lavatum et lavantes de qua forma cf. Jahn. ad Aen. 10, 727. Invexit autem nuper Orellius Vergilianum dicendi usum in Serm. 2, 8, 4 da si grave non est secundum nota illa in Bucol. 1. da Tityre nobis provocatque ad Cruquiana annotata. Ubi Commentator quidem: da si g. n. e. dic, ait Horatius, ipse autem Cruq.: da si g. n. e. omnes libri scripti habent, dic, commate male apposito, nam tantum abest ut Cruquius voluerit dicere omnes libros habere da ut non

potuerit non fateri dic esse communem lectionem. „Omnes omnium codd. dic habent“ Bentleius affirmat et Sanadonus in ed. 1735: „da, inquit, est leçon d'Alde Manuce, mais dic est celle des manuscrits, des anciennes editions et de trois plus recentes.“ Sui si dissensissent libri, aliter Cruquius loquutus esset. Attingam autem rariora quaedam utrique communia, velut usum praesentis historici in brevi rei praeteritae significatione per pronomen relativum interiecta, quem Madvigius primus observavit in illis: amator Originis ille qui patriam mimae donat et Cum Ilionam edormit (S. 1, 2, 56. 2, 3, 61.) male olim ad syncopa relatis. Et ita Verg. Aen. 6, 792 tibi quem promitti saepius audis; 11, 172: Magna tropaea ferunt quos dat tua dextera leto bisque in libro nono. Cf. etiam Schopen. praef. Catonis Naekii in fine. Tum collocatio verborum apud Verg. Buc. 2, init.: Hic inter densos umbrosa cacumina fagos nova videri potest, quam repetiit Buc. 9, 9: „veteres iam fracta cacumina fagos,“ cetera enim exempla apud Wagner. v. cl. Quaest. Verg. XXXIII, 3 d non prorsus similia sunt. Potius addere poterat Aen. 3, 304: et geminas causam lacrimis sacraverat aras. Accedo autem Spohnio et Jahnio, qui commate interposito verba secerni vetant, quo si constanter uti volueris, Ovidiana verbi causa Medic. fac. 11 antiquae, Tatio sub rege, Sabinae sic, ut fecimus, distinguenda erunt. Quam verborum collocationem Horatius demum in ultimis quae edidit opusculis adhibuit. Nam posteaquam posuit C. 4, 8 extr. clarum Tyndaridae genus et Epp. 1, 18, 104 gelidus Digentia rivus secundum Vergiliana delicias Amaryllida nostras et ignavum fucos pecus quemadmodum Sil. 8, 17: Vaniloquum Celtae genus, scripsit Epp. 2, 1, 234: rettulit acceptos regale nomisma Philippos. Ovidius abstinuisse videtur ab hoc exegesis genere, quod contra Ausonius mirifice amavit. Volucres stridentia tela sagittas Epigr. 1, 11. Iliaci Neptunia moenia muri Epp. 4, 21 cl. 34. 67. 6, 19. 8, 15. Idyll. 6, 9. Mosell. 25. 76. 125. 177. Sil. 13, 680 venale cohortes | Hispanae volgus ubi interpositus nominativus genetivi vicem obtinet. Samonicus quoque 958: Ne prosint placidi coelestia munera somni. Paullulum variat Val. Flaccus 2, 653: pares primaeva ministri Corpora ipseque Ausonius Epp. 6, 19 regale nomisma Philippos cl. 18, 5.

Apparet, nullam quae proprie dicitur, imitationem Horatii statui posse nec Vergilium sumpsisse nisi pauca ab illo. Quo rettulerim Horatii Martiales lupos C 1, 17, 9 cl. Verg. Aen. 9, 566. Avit tamen animus mutuae qua coniuncti erant amicitiae vestigia quaedam indagare in eorum operibus extantia, cuius rei satis antiquum testem Quintilianum habemus I. O. 8, 3, 19 sq.: „Risimus et merito nuper poetam qui dixerat

Praetextam in cista mures rosere Camilli

at Vergilii miramur illud

— saepe exiguus mus.

Nam epitheton exiguus aptum proprium effecit, ne plus expectaremus et casus singularis magis decuit et clausula ipsa unius syllabae, non usitata, addidit gratiam; imitatus est itaque utrumque Horatius

— nascetur ridiculus mus.“

Quem locum a Spaldingio minus intellectum optime explicavit Zumptius Vol. V. p. 379: „Proprium mus est, quod ut aptum esset effectum est epitheto exiguus simulque

etiam ne plus expectaremus quam illud ipsum animalculum. Ita murem tuetur adi. et praemissum adi. rursus lectorem praeparat, ne quid grande expectet." Quo ex loco argutior aliquis colligere posset, epistolam ad Pisones non eo quo nuper quum alii tum Prellerus contendit tempore esse compositum, verum post edita Georgica et tres carminum libros Quintiliique mortem et ante Vergilii Variique obitum epistolarumque librum secundum in dias luminis auras emissum i. e. post a. 730 et ante a. 735. Cui sententiae a Reenenio propositae olim favere videtur v. 306 Munus et officium nil scribens ipse docebo cl. Epp. 2, 1, 111: Ipse ego qui nullos me affirmem scribere versus | Invenior Parthis mendacior.

Allusiones autem, ut hoc quoque attingam, Horatii ad Vergilium sunt quidem qui deprehendisse sibi visi sint, quarum tamen nulla certa est. Quod enim Frankius rigidumque Niphaten C. 2, 9, 18 composuit cum Maronianis Ge. 3. 30: addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten, accurata disputatione Ungerus de Valgio p. 345 sq. effecisse videtur, ut apud Horatium Niphates mons, contra flumen eiusdem nominis apud Vergilium intelligi debeat. Nec crediderim cum Kirchnero v. cl. in Serm. 1, 1, 114 festivam, ut ait, παρῳδίαν inesse Vergiliani illius Ge. 1, 512: Ut, cum carceribus sese effudere quadrigae. Quod probabile videri posset, si alibi quoque allusisset ad amici versus quosdam, cuius rei nullum usquam vestigium. Itaque Ennii aut alicuius veteris poetae locum in oculis habuisse utrumque, ex reliquorum huc pertinentium locorum comparatione colligere licet. Sunt autem hi S. 1, 1, 36: Quae simul inversum constrictat Aquarius annum. ib. 2, 37 cl. 2, 4, 63: Audire est operae pretium procedere recte (totus Ennianus) 5, 9: Iam nox inducere terris |Umbras et caelo diffundere signa parabat. ib. 92. Qui locus a forti Diomede est conditus olim. 6, 23: Sed fulgente trahit constrictos gloria curru. 8, 23. Vidi egomet nigra succinctam vadere palla, cuius initium ex eodem fonte sumpsit Verg. Aen. 3, 623; 2, 1, 58 seu mors atris circumvolat alis; 2, 5, 38 παρῳδία Bibaculi de qua praeter Weichertum cf. Orellium; 2, 6, 100 Iamque tenebat Nox medium coeli spatium, quam descriptionem ex Ennio aliove epico poeta sine dubio haustam pluribus persequitur Verg. Aen. 4, 522 sq. et 8, 26 sq., rursus in brevius contraxit auctor epid. Iliad. 110. nam quod ib. v. 93 allusisse poeta ad Euripidem Orellio videtur, longius petitum est mea sententia; contra ib. 114: domus alta Molossis | Personuit canibus heroicum quiddam habet. Denique Epp 1, 16, 25 Varii videtur esse.

Ovidius. Ingeniosum poetam libero iudicio quum alios tum quem ipse cultum prae ceteris appellat poetam imitatum esse non est quod doceam annotaruntque interpretes imprimisque Orellius. Quocirca pauciora addemus.

Plenum „fere semper" cum genetivo ab Ovidio construi auctor est Heins. ad Amor. 1,15,36. Et Horatius quidem constanter cum hoc casu; Ovidius autem ut Cicero variat, ablativum tamen saepius ponit velut A. A. 2, 316. Met. 8, 356. 9, 191. Fast. 5, 124. 6, 138 et alibi.

Pervidere restituit Heins. saepius v. c. ex Ponto 1, 7, 43 secundum H. S. 1, 3, 25. de quo verbo diximus supra ad Orosium.

Simul ut dixerunt neque Catullus neque Ovidius Horatiusque, usus est Vergilius v. Haupt. Quaest. crit. p. 35.

Maxima pars horum ex P. 1, 5, 83 et 2, 1, 45. Priore loco multi libri hominum male pro horum ut H. S. 2, 3, 121 et maxima pars vatum in ep. ad Pisones. Pars hominum Prudent. Hamartig. 592.

Nodosa podagra ib. 1, 3, 24 = nodosa chiragra E. 1, 1, 31.

Met. 10, 18: In quem recidimus quicquid mortale creamur.

ut ibi omnes meliores libri, non decidimus. H. 4, 7, 14: Nos ubi recidimus

Quo pater Aeneas quo Tullus dives et Ancus

sic enim legendum. Quod egregie ibi Peerlkamp. disputat de discrimine recidendi et decidendi, ut illud sit cadere in condicionem deteriorem, miseram, hoc in condicionem deteriorem, miseram et turpem, confirmatur etiam Baden. annot. ad Sen. H. F. 269 ipso nolente et ita Mediceus ap. Tac. An. 3, 59 rectissime: Eo decidisse omnia. Mirum autem sane quod Peerlkampus pro pater Aeneas edidit pius Aeneas.

Metamorphoseon clausula sic se habet:

Iamque opus exegi: quod nec Iovis nec ignes
Nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas.
Cum volet illa dies, quae nil nisi corporis huius
Ius habet, incerti spatium mihi fineat aevi:
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar: nomenque erit indelebile nostrum.
Quaque patet domitis Romana potentia terris:
Ore legar populi: perque omnia secula fama
(Si quid habent veri vatum praesagia) vivam.

In quibus versibus tam manifesta et pene putida imitatio inest Horatiani epilogi C. III, ut digito intendisse sufficiat. Quos si composuit Ovidius, multo inferior Statio censendus est eandem sententiam elegantissime efferenti extremo l. XII Thebaidos. Sed plura sunt quae suspicionem moveant pannum hunc assutum esse mirabili operi. Quae proferam attingendae potius quam absolvendae quaestionis causa. Primum enim iure miraris, Heinsianam annotationem ante hos ipsos versus desinere, cuius rei nullam causam reddit Burmannus, qui ipse perpauca nec memoratu digna annotat. Deinde si versus sunt Ovidii duos poeta fecit epilogos, alter enim huic praecedit. Tum in multis codd. accedit distichon hoc:

Bis sex millenos versus in codice scriptos
Sed ter quinque minus continet Ovidius.

Unde saltem apparet, aliunde intrusa esse aliqua. Denique in verbis ipsis offendit ignes, pro quo imbres voluisse Passeratium ex Burm. annot. ad Prop. 3, 2, 61 didici. Iure enim is poeta:

Aut illis flamma aut imber subducet honores

verum sub Iovis ira iam ignes intelligendi videntur. Tum eundem et sequentem versum Albertinum Mussatum Epistolae XVIII intexuisse a Burmanno docemur, id quod diligentius

persequi operae pretium videri debet iis quibus praesto sunt subsidia litteraria. Nam haec epistola communi eruditorum consensu ab Ovidio abiudicatur. Ambigua autem prorsus sunt sequentia: parte tamen meliore etc. quae nec satis apta sunt si de ingenii fama accipis et Ovidio vix conveniunt, si animae immortalitas intelligitur. Nec magis placet protasis huius enunciati et ipsa inconcinna et per tamen cum apodosi male coniuncta, in cuius statim initio volet utrum primae an tertiae coniugationis sit, ambigere licet. Prius si statuas, quod sane multo simplicius, saltem advolare requiritur, alterum quod voluisse videtur quisquis hos versus confinxit, obscurius et contortius est. Denique indelebile displicet, de qua voce provocant quidem in Lexicis ad Epp. ex P. 2, 8, 25:

Parce precor secli decus indelebile nostrum.

Sed in corrupto hoc corrupti operis versu vix quicquam, ne precor quidem, satis constat; pro indelebile autem habet optimus l. Sarrav. et pari bonitate Scaligeri v. l. (v. Heins. ad 1, 1, 1) duoque alii Heinsii indeflebile, Burm. unus advenerabile, duo venerabile. Verum haec ulterius persequenda aliis relinquimus.

A. A. 1, 231:

Saepe illic positi teneris adducta lacertis
Purpureus Bacchi cornua pressit Amor.

Ubi Heins. postquam ponendi usum luculenter exposuit: „hinc, inquit, intelligendus H. E. 1, 18, 111:

sed satis est orare Iovem qui ponit et aufert.

Sic enim plerique ll. veteres quod miror praeteritum a Lamb. et Torrentio.“ Mirari hodie quoque si revivisceret viro praestantissimo liceret quum eundem v. in laudatissimis istis Orellii et Dillenburgeri editionibus foede corruptum sic legeret: „sed satis est orare Iovem qui donat et aufert.“ Schmidius Cruquii libros sequutus recte edidit ponit, sed male exposuit de collocanda pecunia.

Denique adi. in ax desinentia amat ut H. v. Heins. ad A. 2, 6, 23 cl. A. A. 2, 189 et de v. perprimendi utrique communi eund. A. A. 1, 394.

Manilius. Iacobus v. cl. ad 1, 270: „metathesis in que familiaris Manilio“ H. C. 2, 19, 32: ore pedes tetigitque crura cl. Peerlkampo p. 296, A. aliaque exempla affert Bentl. ad v. 24. Quo in usu praeivit si lectio ibi se recte habet Cato Censorius in fr. oratt. R. p. 58 ed. Meier. IIdae. Aliud est, inquit Cato, Philippe, longe aliudque amor, abs quo alia sumpsit H. ut dapis in numero sing. (c. 132 d. R. R. et saepius) licebit c. coni. c. 158. 161 = H. Ep. 15. 19. C. 1, 28, 25. nam alibi Horatius infinitivum apposuit.

Idem ad 4, 529:

„Instruit et dotes saltus cum pectore iungit

pectus; audacia superat Horatium: Non tu corpus eras sine pectore. Ita supra 2, 581 pectus amicitiae.“ Eadem audacia in epit. Iliad. 89 meum corpus Thetis de filio suo.

5, 155 de fractis et mollibus hominibus:

et morbum virtutis nomine iactant

male enim accipit Firmicus de ambitione; rectius Scaliger e Claudiano affert:

Quod turpem pateris cano iam podice morbum.

Cui addo ex Auson. ep. 131:

Causa latet bimarem nisi quod patientia morbum
Appetit.

Quae componenda cum H. C. 1, 37, 9: Contaminato cum grege turpium | Morbo virorum. Turpis enim in hac re non magis proprie quam morbus ponitur. Cic. Q. Tusc. 3, 17 „Quid est autem nequius aut turpius effeminato viro?“ et auctor Octaviae 433: Turpi libido Venere. Quae monui propter Peerlkampi contortam rationem, ex qua morbum per φύσιν, naturam, indolem interpretatus est. Collocatio autem verborum, qua Bentleius videtur offensus esse, non alia est ac 1, 2, 23. 4. vitio parentum | rara iuventus; 13, 10: immodicae mero | rixae; 2, 13, 32 densum humeris bibit aure vulgus; 15, 9 spissa ramis laurea; 3, 5, 5: coniuge barbara | turpis maritus; 10, 14 tinctus viola pallor; 22, 2 laborantes utero puellas.

Persius quam frequens Flacci imitator fuerit, optime docet luculentissimus uberrimusque conspectus, quem Casaubonus in editione sua dedit, cui adde si libet quae O. Jahnius v. cl. attulit in Prol. p. CXCIII n. Iuvenalis abstinuit fere ab Horatii imitatione, ut etiam C. Fr. Hermannum iudicare video de codd. Iuvenalis p. 9. Qui num hunc in Ep. 13, 11: Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno respexerit S. 7, 210: Metuens virgae iam grandis Achilles | Cantabat dubium videri potest, quamquam facile est παρωδίας speciem agnoscere. Imitationem quandam eius (Sat. XII init.) observarunt Scholiastae ad C. 4, 11, 17. Poetae Satirici.

Sulpiciam Caleni v. 48: quos inter prisci sententia dia Catonis sumpsisse ex H. S. 1, 2, 32 risum fortasse movere potest reputanti qua de re tam humane iudicaverit Catonis severitas.

Nec, ut haec adiungamus, fabularum scriptorum frequens imitatio, quo refero Phaedri 3, prol. 47: „stulte nudabit animi conscientiam“ ubi Schefferus Livium ita loquutum esse ostendit et utraque prior Horat. dixit S. 2, 5, 47: „ne manifestum Caelibis obsequium nudet te“ et in eodem libro Phaedrus 10, 17: „Stuproque turpi pollui famam domus“ = H. C. 4, 5, 21: nullis polluitur casta domus stupris.“ — Paulo inusitatius Avianus pr.: „Verum has pro exemplo fabulas et Socrates divinis operibus indidit et poemati suo Flaccus aptavit,“ ubi Cannegieteri annotatio nos vetat quominus de alio Flacco ac Venusino cogitemus.

Audacissimus poeta audacem H. structuram C. 4, 7, 3 mutatque vices aequat dicendo votum cupere Silv. 1, 2, 107 cl. Handio v. cl. tertiusque accedit Calpurn. Ecl. 11, 13 lugere querelas. Statius.

Hiberno deprensus navita ponto Theb. 2, 370 = Otium divos rogat in patenti prensus Aegaeo H. C. 2, 16. tenens partum — patentis Homeri tamquam maris auctor epit. Iliad. 1071. Fluminei velut deprensus gurgitis undis Sil. 15, 488. — Inimicent ib. 2, 419 = C. 4, 15, 20 et Auson. epp. 24, 63. — Infames scopulos ib. 3, 121 nullo ablativo addito quem abesse non posse censuit Peerlkamp. ad C. 1, 3, 20. — Perventum ib. cum nudo accusativo = S. 2, 6, 32: at simul atras Ventum est Esquilias, ut delatus — oras Sil. 13, 888. — Damnosa, quod et Ovidius et Propertius habent, egregie restituit Mark-

land. S. 5, 1, 93, quemadmodum H. damnosa dies, libido, Venus et auctor epit. Iliad. 26 damnosa libido. Idem ad 3, 2, 6: „per totam, inquit, hanc eclogam Horatii odam (1, 5) ante oculos habuit noster" peragitque pluribus Horatiana.

Quemadmodum Horatius vv. discrepandi, differendi, distandi etc. cum dativo iungere amat, ita Stat. Theb. 3, 88 dolori pugnat et ut certare Sil. 7, 199 et 8, 593, 10, 54 et pugnare id. 7, 483. 10, 475. degenerare alicui in Thebaide 1, 464 quod cum Claudian. Cons. Hon. 4, 367 et Namatian. 1, 591 componit A. W. Zumptius.

Ceterum eleganter Flacci memoriam recolit S. 1, 3, 100 dictumque lyra maiore Catillum alludens ad C. 1, 18, init. quamquam Handium v. cl. video ad Vergilium referre haec verba.

Silius Italicus.

Horatianum uncta cruoribus C 2, 1, 5 satis audacter dictum quum Silium 9, 13 imitatione comprobasse docerent iam Orellius et Peerlkampus, pravae imitationis exemplum addere nunc visum est. Tiberius enim apud H. C. 4, 14, 24 dicitur frementem | mittere equum medios per ignes. Ubi ignes, quos in enses mutatos voluit Bentleius quia figurate accepit, veros significari, Raetorum nimirum domos incensas, contendimus in Horatian. p. 9. Contra Silius figurate praeter communem consuetudinem usus est 14, 176: per medios ignes mediosque per enses et 15, 41: per medias volitare acies mediosque per ignes. Nam Ov. Met. 8, 76 ire per ignes proverbii instar dictum est, cuius originem ab Homero repetiit Peerlkampus.

Rursus eleganter idem 3, 145:

Quantum etenim distant a morte silentia vitae?

expressit H. C. 4, 9, 29: Paullum sepultae distat inertiae | Celata virtus, ubi haud scio an praestet Bentleii inertia Peerlkampi sepulti.

14, 237: Quo mons Sicania non surgit ditior umbra

conferendus est cum H. S.1, 5, 91:

Nam Canusî lapidosus: aquae non ditior urna.

Lucanus.

Eius longe plurima ab editoribus Horatii annotata sunt, praesertim quae apta viderentur ad insolitas structuras defendendas. Veluti 2, 99 quantoque gradu Mors saeva cucurrit = H. C. 1, 3, 17 Quem Mortis timuit gradum, quem ad locum Peerlkampus acumine suo abusus videtur esse negans similitudinem inter utrumque v. intercedere, praesertim quum sequentis v.: Qui siccis oculis manifesta videatur imitatio Lucani 7, 108:

duri flectuntur pectora Magni
Siccaque Thessaliae confudit lumina Lesbos

cl. 9, 1044: qui sicco lumine campos | Viderat Emathios.

1, 240 Deripuit sacris affixa penatibus arma = H. C. 1, 3, 5: Signa ego Punicis | Affixa delubris — dixit Derepta. Sil. 10, 600: arma | Deripite o pubes templis.

V. 2, 441 viduus abusive ut H. C. 1, 10 viduus pharetra, de quo usu iam monuit Serv. ad Verg. Aen. 8, 571.

5, 200 ruentis imperi = H. C. 1, 2, 25.

6, 388 aspera te Pholoes = H. C. 1, 33, 6 Cyrus in asperam | Declinat Pholoen.

8, 867 Pulveris exigui = H. C. 1, 28, 3.

10, 61 Iliacasque domos = H. C. I, 15, 36: Ignis Iliacas domos ubi trochaeus ferendus est. v. Horatian. p. 4.

In Lucani scholia multa ex Acrone, Porphyrione et Commentatore translata et a diligentissimo Webero annotata sunt, nullius tamen fere bonae frugis, velut Schol. Berolinense (v. Weber. p. XXVI.) Quintilium tradit cum Acrone et Servio fratrem Vergilii fuisse. Praevalet enim Hieronymi auctoritas, amicum appellantis et Sanadoni sententia trium nunc rumorem scholiorum ex poetae verbis: nulli flebilior quam tibi fluxisse.

Qui quum alioqui longius recedat a Flacci sermone, amat pariter atque hic singularem **Martialis.** numerum ponere in vocabulis numerandi notionem continentibus veluti multus, plurimus etc. Ita Epigr. 7, 53 plurimus cliens. cf. 2, 17. 5, 16. innumero 8, 54 = H. C. 1, 7, 5 plurimus substantive audacius; notum Vergilianum plurima mortis imago, quod inde sumpsit Orosius 2, 5 extr. et in Aen. 12, 45 plurimus rubor. Stat. Achill. 1, 163: Plurima vultu | mater inest et saepe Silius 2, 547. 4, 499; multusque in pectore-Hannibal Lucan. 8, 235; arbore multa id. 10, 304. Tacit. A. 12, 47 multa veste Vergiliusque in Aeneide milies. Tantus, frequens eodem numero ponuntur. Coniungit Sil. 16, 363: Insignis multa cervice et plurimus idem et audacissime Stat. Silv. 3, 1, 41: multo fratre madentem. Exempla singularis multus dedimus in Horatian. p. 13 quibus adiiciam multa rosa Verg. Aen. 12, 68. multa-indole Stat. S. 3, 3, 68 pars-multa Ov. A. 1, 15 extr. Tu solus, tu multus item Hymnus ap. Haupt. Ov. Halient. v. Grat. p. 65 v. 5. Ceteroqui Horatius saepius quidem in numero eligendo sententiam respexit et acutissime hac de re interdum monuit Bentleius, creberrime autem sonum sequutus est. Hariolantur interpretes, maxime Lubkerus qui C. 2, 1, 8 cruores, inquit, sanguis est largiter effusus. At ib. 36 Quae caret ora cruore nostro. Idem ad 3, 7, 11 tuis-ignibus: „Pluralis quod ignis persona non notio abstracta est." Quid faciamus autem Vergiliano meus ignis Amyntas? Idem denique 3, 6, 17: „saecula in plurali ponit, quia ingenium et indoles temporis significatur." Rursus obstat Tacitus: corrumpere et corrumpi — saeculum vocatur. Itaque amat Horatius ablativum vel dativum pl. primae et secundae declinationis: areis, horreis bis, campis saepissime, quamquam 3, 18, 9 ludit herboso pecus omne campo et mox festus in pratis. Patet soni causa dictum esse Ep. 2, 64 collo trahentes languido et C. 3, 6 dedecorum pretiosus emptor, ubi dedecoris, qui numerus proprie requiritur, minus bene sonaret. Omnino autem quum longum sit h. l. rem absolvere, inde a Vergilio qui primus hordea dixit et ab Horatio qui nomina daturus ponto C. 4, 2, 4, quod sequutus est Sil. 12, 360 increbrescere coepit promiscuus numerorum usus praevaletque denique pluralis, de cuius usu et Batavi ambigunt nec nostrates satis recte praecipiunt, dum, ut Jacobus fecit in scriptione de usu numeri pluralis, omnia ad logicas rationes revocare student.

Serenus Samonicus.

Poeta haud inelegans, sed cuius textus nunc misere corruptus, studiose Horatium imitatus est, quod non fugit Bentleium ad S. 2, 6, 64. Cuius imitationis quantum plenissimum potero dabo conspectum.

V. 35. Quum caput immensa pexum porrigine ningit = S. 2, 3, 125: caput impexa foedum porrigine.

v. 74. Illotus sudor vel copia inutilis escae; sic enim scribendum cum avito l. Keuchenii (nam varietas lectionis ab Orellio enotatae non ad manus est) pro inepto nobilis escae, quod nunc in textu est. Inutilis autem p. noxius amant ponere Ovidius et Celsus praeivitque H. C. 3, 24, 48 inutile aurum.

v. 80. Sic pavidum corpus dextra parcente faveto = H. C. 3, 19, 21: Parcentes ego dexteras | Odi.

v. 82. patiens formica laborum = S. 1, 1, 33 magni formica laboris.

v. 108. Eximium capitis tactu deiecit honorem. Corrige ex Keuchenii cod. decussit secundum H. Ep. 11, 6: silvis decutit honorem.

v. 154. Sepiolae cineres ex ossibus omnia levant.

Sic ed. Ackermannus, nescio unde. Keuchen. ita: „tollunt, etiam in calamo exarato scriptum: quod vulgo ad oram sanant legitur, glossam olet.“ Varietas nata videtur ex H. epp. 2, 2, 123: Levabit cultu, virtute carentia tollet.

v. 254. Hinc tractato locum, miram experiere medelam
Aut tu sume pilam.

cl. 858: Erucis aut si totos perduxeris artus — Aut tu cervina per noctem in pelle quiesces et v. 35 aut tu = C. 1, 9, 16: Nec dulces amores sperne puer | Neque tu choreas, et ita Verg. A. 12, 158.

v. 317. Puleium quoque decoctum curabit amice = H. C. 2, 3 Angustam amice pauperiem pati et ep. ad Pis. coniurat amice 411.

v. 352: Post partum tumidas iniuste assurgere mammas = E. 2, 1, 75: Iniuste totum ducit venditque poema.

v. 392: Si latus immeritum morbo tentatur acuto = S. 2, 3, 165: quod latus aut renes morbo tentantur acuto. cl. E. 1, 6, 28.

v. 470: Et documenta dedit nobis prostratus Orion = C. 3, 4, 71 Orion — virginea domitus sagitta.

v. 499: Crescit hydrops = C. 2, 2, 13; ib. 502 miseram pellem = S. 2, 3, 29 lateris miseri capitisve dolore.

v. 512: Atque olei suco refricant (sic enim scr. e. cod. Keuchen. vitiose vulgo refricat) albentia membra = C. 2, 2, 15, aquosus albo | Corpore languor, quemadmodum v. 517: Unguine quo frangit vires languoris aquosi.

v. 519: Potibus aut duris restricta morabitur alvus = S. 2, 4, 27 Si dura morabitur alvus.

v. 533: Corruptum est quod legitur: Quodque satis melius verbis dicemus Horati.

Burm. voluit patris p. satis, quod epitheton Homero Zenoni Ennio solemne, non Horatio. Peerlkampus p. 180 coniecit: Quodque vatis ex imitatione C. 2, 6 vatis amici quod haud scio an sublimius pro huius loci conditione, ubi quum poeta de ventre molliendo lagat statim addit Horatianum versum: Mitulus et viles pellent obstantia conchae. Nuperrime Lachm. ad Lucret. p. 17: „Quodque tuis melius" ubi displicet vocativus nude positus Horati. Itaque nondum poenitet coniecturae meae, quam feceram antequam Peerlkampi et Lachmanni emendationes novissem: „Quodque cati melius verbis dicemus Horati." Quod epitheton apprime convenit quum Mercuriali viro ut ipsi Mercurio (C. 1, 10) tum in hunc locum quadrat, ubi poeta inducitur ea suadens quae ipse usu expertus erat salubria.

v. 613. Hoc poterit quartus magni monstrare Lucreti.

Ita sane plerique ll. et alibi sic Samonicus velut v. 727: Tertia namque Titi simul et centesima Livi, quamquam etiam simpliciter Plautus v. 429. Memorabile tamen quod in Keuchenii ms. legitur ab Ackermanno praetermissum: virtus magni m. L. quemadmodum virtus Scipiadae ab Horatio dicitur S. 2, 1, 72 et prisci Catonis C. 3, 21, 11. Confusio saltem utriusque vocis facilis si IVtus scriptum olim erat potuitque etiam glossa irrepere idem vocabulum.

v. 624 cochlea synizesis ut H. S. 2, 4, 59 quem in huius vocis contractione a Lucilio pendere observavit Lachm. ad Lucret. p. 122. Idemque Horatius ostrea S. 2, 2, 21, cerea ib. 1, 8, 43, alveo C. 3, 7, 28. 29, 34. Quem in his sequitur Silius 14, 428 et 15, 634, ut Ovidius aurea dicit. Solus autem Horatius vietis ep. 12, 7.

v. 713. Ennius ipse pater dum pocula siccat iniqua

compositus est ex E. 1, 19, 7: Ennius ipse pater et S. 2, 6, 68: Siccat inaequales calices.

v. 741. Pythagorae cognata = S. 2, 6, 63 O quando faba Pythagorae cognata.

v. 850. Varronis fuit ista senis sententia eodem sensu quo S. 2, 1, 34 de Lucilio: pateat veluti descripta tabella | Vita senis.

v. 932. At qui continuis non cessat adire diebus
Sed tantum certas morbus discriminat horas

Pronomen seiunctum a nomine suo similiter H. C. 4, 13 sq. Quae spirabat amores, quae me surpuerat mihi — facies. Silius 3, 577 Atque ille et demum v. 580 populus.

v. 1061. Ut tutus fias infestae fraude novercae

Versus elegantissimo poeta indignus. Scribe mecum: infestae a fraude novercae ut H. S. 2, 1, 42: tutus ab infestis latronibus.

Ceterum iam hunc vitioso Horatii exemplari usum esse, ex v. 536 apparere videtur, ubi mugilis affert ex S. 2, 4, 28 p. vera lectione mitulus.

Ecl. 3, 20 verbere multo = H. C. 3, 27, 23. Calpurnius.

— 4, 142 sq. Tu quoque mutata seu Iupiter ipse figura
Caesar ades seu quis superum sub imagine falsa

Mortalique lates (es enim deus): hunc precor orbem
Hos, precor, aeternus populos rege: sit tibi caeli
Vilis amor coeptamque, pater, ne desere pacem.

= H. C. 1, 2 s. f.:

Sive mutata iuvenem figura
Ales in terris imitaris, almae
Filius Maiae, patiens vocari
Caesaris ultor:
Serus in caelum redeas diuque
Laetus intersis Populo Quirini.

— 18, 20: Secreti pars orbis habet mundusque piorum = C. 2, 13, 23: Sedesque discretas piorum. Lucil. Aetna v. ult. domus et rura piorum.

— 9, 3: In Donaces Venerem furiosa mente ruebant = C. 2, 3, 4 sq.: Nec tauri ruentis | In Venerem tolerare pondus. Manil. 3, 665: In Venerem partumque ruit.

— 9, 12: Sollicitumque foret linguis opus. Quod de una Donace dictum excusat Wernsd. V. 2 p. 355 parum apte H. E. 1, 5, 18: Sollicitis animis onus eximit, ubi poeta in universum loquitur. Corruptus, quantum ex critica Glaseri suppellectili cognosci potest, locus non videtur; est igitur deterioris aetatis signum immodicus et plane promiscuus pluralis usus.

Denique 6, 71:

Seu residere libet, dabit ecce sedilia tophus
Ponere seu cubitum, melior viret herba tapetis

vulgo quidem sic legitur, verum habent plerique codd. lapillis p. tapetis ut H. E. 1, 10. 19: Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis. Tantum autem abest, ut tapetis Flacco obtrudam, id ut e Calpurnio eiici velim restituamque lapillis, qui nitere et virere recte dicuntur.

Rutilius Namatianus. De reditu suo 1, 82:

Omnia perpetuos quae servant sidera motus
Nullum viderunt pulcrius imperium.

= H. C. S. 11 alme Sol — possis nihil urbe Roma visere maius.

— v. 134 non vereare colos ubi Zumptius: „Ac rarissimi sunt similes loci; unum scio Horat. Serm. 2. 5, 91 ultro non etiam sileas. Nam primae et tertiae personae, in quibus minor est imperandi vis, frequentius non additur.“ Legitur nunc apud Ov. ex Ponto 1, 2, 105 Non petito ut bene sit, verum scriptura incerta est placetque Scaligeri neve pete prae illo Heinsiano.

— 359 Aurea legitimas expugnant munera taedas
Virgineosque sinus aureus imber emit.
Auro victa fides munitas decipit urbes

= H. C. 3, 15, 9 filia rectius expugnat iuvenum domos et 3, 16, 13: diffidit urbium Portas vir Macedo.

— v. 539. Et tamen insanas cedendo interrigat undas

Veram lectionem interrigat restituit Zumptius, nihil vero de usu verbi nusquam praeter hunc locum lecti monuit. Qui rarissimus est in verbis activis iudice Naekio ad Valer. Cat. p. 98. H. A. P. 194: medios intercinat actus.

Diligentissimus alioqui Vergilii imitator Horatium suum probe tenebat. Ausonius.

Prof. 8 iste lascivus patiens vocari = C. 1, 2, 43 patiens vocari.

— 9. Romulum post hos prius an Corinthi = C. 1, 12. 33 Romulum post hos prius an idemque favete linguis Idyll. 6 et ternos ter cyathos ib. 10, quae omnia ex Horatii textu nostro sumpta a Flacco abiudicat Peerlkampus.

Epp. 4, 34 prope turpia membra = H. C. 4, 14, 20 indomitus prope qualis undas quem usum a poetis alienum esse iure statuit Peerlkampus, certe Orellii exemplum ex Livio sumptum nihil probat. Ego malim indomitas modo. Prope et modo confusa v. apud Markland. ad Statium S. 3, 5, 37.

Epp. 4, 48 talos a vertice pulcher ad imos = E. 2, 2, 4 eadem prorsus verba.

— 24, 86 afflaretque tuas aures, quemadmodum accusativum flagitavit Bentl. S. 1, 8, 95. quem locum Orell. tuetur Tibull. 2, 1, 80.

— 10, 25 Sus lutulenta fugit: rabidus canis impete saevo = E. 2, 2, 75.

— 24, 102 contristat aquarius unda = S. 1, 1, 38.

— 15, 14 fugit iuventus Romula ut Romula gens H. bis et Romula virtus Sil. 16, 255.

— 22, 11 horrens capillis ut marinus asperis | echinus = Ep. 5, 27 horret etc.

Mosell. 163 sq. imitatio est S. 1, 7, 29 sq.

— 290 regis opus magni = A. P. 90 regis opus.

— 398 purpura fusis = A. P. 15 Purpureus - Assuitur.

Habet etiam altor ingenii tui Epp. 21, 25 praetereaque 23, 33 id quod favet coniecturae a me in Philologo III, 2 propositae et Taciti usu firmatae, ut C. 1, 2 legeretur:

„Filius Maiae patiens vocari | Caesaris altor“ p. ultor. Maenalus altor Grat. Cyneg. 100.

Magnus imitator Flacci appellatur a Bentleio ad C. 1, 34, 5. Steph. 10, 663 olim lacte depulsum = H. C. 4, 4, 13 ubi etiam nunc maxime placet Kusteri iam iamque Lucretii et Statii Valeriique usu firmatum; infelicius Lachmannus (macte!). Ib. 5, 42 non felix ut H. non amat p. in, v. c. non auspicatos C. 3, 6, 10 et non tacta ex praeclara Bentleii emendatione E. 2, 2, 80. — C. Symmach. 1, 126 multo se proluit haustu = H. S. 1, 5, 16, 80. multa prolutus vappa et 2, 4, 27 mulso Prolueris melius ut et Verg. Copa 29. Admodum obscure Merobaudes v. 6 p. 3 unda — Cornigeras rapido proluit amne feras. Ib. 595 honoribus aucti = S. 1, 6, 11 amplis et honoribus auctos. Prudentius.

Cath. 8, 62 aquosus humor = C. 2, 15, 16 et observavimus ad Samonicum.

— 10, 68 Quae nunc gelidus sopor urget = C. 1, 24 init. Ergo Quintilium perpetuus sopor urget.

Steph. 5, 308:

Haec ille, sed clausas fores
Interna rumpunt lumina
Tenuisque per rimas nitor
Lucis latentis proditur.

ubi unus Weitzianus proditor nec improbat Heins. = C. 1, 9, 21 latentis proditor.

Et alia habet Horatiana ut fabula Manes, quod iam Bentleius annotavit, densĕre, infinitivos in ier desinentes velut Steph. 10, 345 quos quater adhibuit H. in S. 1, 2, 35 et 2, 8, 67 et E. 2, 1, 94. 2, 148; semel in lyricis 4, 11, 8 nec effugere sibi passus est Ser. Samonic. v. 100 curarier; vitiosus vocem Horatio saepius usurpatam; hiatus quoque quos amare docet Heins. p. 28 fortasse adhibuit fidens Flacci praesidio.

Anthologia latina. Praemittam Petronii: Ipsa suas vires odit Romana iuventus = Ep. 16, 2 suis et ipsa Roma viribus ruit cl. Wernsdorfio v. III p. 26 sq. Omnino hoc carmen et secundum epodon inter lyrica Horatii posteriores maxime imitati esse videntur, ex quo inemptas apparet dapes integrum recepit Claudian. in P. et O. Coss. 204. Omitto autem quae praeterea in Petronii fragmentis apud Wernsd. III p. 70 et 71 et a Luperco ib. p. 236 sq. Licentioque IV p. 871 et a Vestritio Spurinna, de quo diligenter monuit Baierus in Addendis Vol. IV, in Horatii imitationem composita sunt. In Catalect. Verg. autem 6, 78:

Corniger hos aries humilis et maxime taurus
Victima sacratos tinguet honore focos

vulgo coniungunt aries humilis, cui quum parum convenire corniger alterum epitheton facile appareat, humilis cum focos coniunxit Naekius ad Catonem p. 284, quam structuram cur reformidaverit Wagnerus v. cl. miror. Verum ne apud Horatium quidem recte se habere videtur quod legitur nunc C. 2, 17, 32:

Nos humilem feriemus agnam

ubi duo codd. Blandinii humiles, quamquam Acro humilem legisse videtur interpretans: „non humilem agnum, sed humilium oblationi aptam.“ De animalibus novi unum Ovidii locum A. 3, 13, 16: Et minor ex humili victima porcus hara, ubi proprie de hara in humo i. e. coeno versante accipiendum videtur adiectivum. Contra de se ipso Flaccus C. 3, 30, 12 ex humili potens et 1, 37 extr. de Cleopatra non humilis mulier et plane ita Ov. Her. 3, 75 nos humiles et auctor C. ad Pis. 242: nos humilis domus et sincera parentum. Lactant. de ira c. 23, 10: aufer iram regi - immo vero cuilibet humili eripe hunc affectum. Cf. Buenem. ad L. de mort. pers. 38. Seneca philosophus alicubi: humiles amici. Restituimus in Mus. N. Rhenano pluribus Horatii locis Blandiniorum scripturam, a quibus vix recedendum esse sapienter M. Hauptius monuit; quibus addo nunc duo, ubi Acro cum iis prorsus consentit. C. 1, 25, 2 male nunc editur: ictibus crebris, nam omnes Cruquii praeter Divaeum iactibus et Acro: „lapidum.“ Cf. Ritter. ad Tac. A. 13, 40. Tum 4, 13, 14 cari lapides antiquissimus Bl. cum Acrone:

„nec gemmarum pretiis reverti pulchritudinem;“ alienum autem est quod vulgo nunc editur clari, quum de solo pretio agatur.

Anth. C. 1, 102. Pentadii: Sed postquam telo violenti victus Achillis = E. 1, 10, 37: Sed postquam victor violens discessit ab hoste.

Anth. L. 3, 144:

Quisquis amat dictis absentem rodere amicum
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

ut pro vitam bene correxit Schrader. in Addendis Vol. 1 Burm. Est enim aperte sumptum ex H. S. 1, 4, 81: absentem qui rodit amicum. Horatiana autem imitatio eo probabilior quod ipsum epigramma in codd. S. Augustino tribuitur. Praetereo 4, 13 expressum maxima ex parte ex H. C. 2, 20 quod Burmanno venustissimum visum merito suppositum iudicasse videtur Schraderus V. II p. LV.

6, 64: Siticulosam sustinens diu aestatem = Ep. 3, 16 vapor | Siticulosae Apuliae, ubi sustinemus p. sustinens diu codd. quod probo, nam mutatio numeri frequens.

Maxime autem animum advertit L. V. 219 (n. 1704 ed. Meier.) quod non adeo antiquum visum Burmanno; caute Meierus „est, inquit, carmen populare in Priapum satis memorabile. Hendecasyllabi.“ Ac tanta est Catulli et Horatii imitatio, ut vix antiquum iudicarem, nisi Mommsenum Mus. Rhen. N. VI, 1 nonnulla emendatius ex apographo proferre vidissem, qui simul carmen elegantissimum et venustissimum et plane Catullianum esse pronuntiat. Est autem pari modo Horatianum atque etiam Lucretianum. Inscriptum esse carmen perhibetur statuae Priapi, effosso a. 1758, ex quo Horatiana haec excerpemus:

V. 4 puellis | Fascino placeam bonis procaci nulla causa est ut cum Burm. scribamus bonus. Bonis puellis ut bonae Cinarae.

v. 6. Dissipem curas animo nocentes = C. 2, 11, 17: dissipat Evius | Curas edaces.

v. 912: Quae ad domus trahet invidas Averni
Fabulas manes ubi rex coercet.

H. C. 1, 4 iam te premet nox fabulaeque manes et 2, 18, 38 satelles Orci — genus coercet.

v. 23 sq. nam malos arcens homines cruentos
ire per siluas dat ille vobis
perque opaca silentia incruenta

Lachm. ad Lucret. 6, 552: „scr. aquae et aquai similiter Horatius isque unus inter omnes siluae tribus syllabis dixit.“ Displicet autem duplex epitheton, quod facile quidem admittitur, ubi alterutrum nomen est proprium ut C. 1, 4, 17 Et domus exilis Plutonia cl. Verg. A. 10, 408 aut longius inter se disiunctum est ut C. 3, 2, 9 rudis agminum | Sponsus lacessat regius. Nam C. 3, 4, 50 fidens iuventus horrida brachiis est: dum fidit brachiis. Durius brevis in laevos piger Valer. Fl. 2, 386; ubi tamen

omnia sana nec quicquam proficit Iacobi Q. Ep. p. 27 disputatio mirifice frigida cum pace coniungentis. Sil. 8, 121: namque asper somno dirus — horror.

v. 33: O Priape potens amice salve
seu cupis genitor vocari et auctor
Orbis aut physis ipsa Panque salve

potentem amicum H. C. 2, 18, 12. Cupis-vocari-auctor admonent C. 1, 2, 41 patiens vocari-ultor.

v. 40 — atque sedes
lucidas cupidus suas relinquit

H. C. 3, 3, 33 illum ego lucidas | Inire sedes.

Epitome Iliados Homeri. Auctori huius poematis, quisquis fuit, quem ultimo loco posuimus, quia in longe plurimis Ovidium, in permultis Vergilium sequutus est, ex Horatio saltem ii loci obversati esse videntur, in quibus hic res Troianas tangit v. 402: Dumque furit sternitque viros bene Wernsdorf. observat, furit quasi proprium de Diomede usurpari ab Horat. C. 1, 15, 27 Ecce furit — Tydides, idemque v. 534 Aegide acute legendum coniicit fretus simul H. C. 1, 15, 11: Pallas et aegida — parat.
